Arnolfi M.

12-4-9-7

IVSTI CNVTII
COMPENDIVM
Vniuerſæ
MEDICINAE

Iuxta doctrinam Hippocratis, & Galeni.

SVPERIORVM PERMISSV.



VICENTIÆ,

Apud Petrum Bertellium Bibliop. Patauinum.

Anno M DC VIII.

Nobiliſſimis, ac doctiſſimis Viris, Inclytæ Germanorum nationis, Theol. Med. & Philoſ. Paduæ commorantium.

CONSILIARIIS.

D. CHRISTOPHORO BAVARO.
D. IO. ANDREÆ RVMPOLDO.

PROCVRATORIBVS.

D. GVLIELMO THYS.
D. MARTINO HERCVLANO.

Vniuerſis denique, & ſingulis eiuſdem nationis membris S. P. D.

ANtiquiſſima apud Ægiptios ſcriptores, viri nobiliſſimi, erat conſuetudo, doctiſſimos eorum libros Mercurio inſcribere: credebant enim illum, omnium ſcientiarum, artium, & diſciplinarum, au-

ctorem eße; illique, tanquam omnium rerum inuentori, gratias agendas. Quare Pythagoras, Plato, & alij philosophorum quamplurimi, philosophiæ adipiscendæ causa, in Ægiptum profecti sunt; vbi à columnis Mercurij, quæ vndique doctrina, & sapientia scatebant, eam appræhenderunt. Similiter ego, viri doctißimi, eos sensiße credo, qui suas in omni scientiarum genere lucubrationes, illustri Germanicæ nationi, philosophorum, medicorum, ac theologorum, Paduæ commorantium, dedicarunt; vnde tandem, uelut a columnis Mercurij, omnium disciplinarum scientiam abunde petere liceret. Proptera etiam ego, cum Iusti Cnutij Goudani philosophi, & Medici eccellentiß. nationis vestræ membri, cōpendium medicinæ, multis amicorum precibus, impetrassem, prætermittere nolui quin nomini vestro illud inscriberem: ita enim duos mihi fructus percepisse uideor; vnum

videlicet, quod animum meum beneuolum, quo semper erga inclytam Germanicam nationem affectus fui, declarauerim: & alterum, quod auctori gratum fecero, dum opus eius, tam securæ amicorum suorum tutelæ, committo. Neque minus me egiße credo illis, qui libros suos Principibus, ac Rebuspublicis consacrant; siquidem nationem hanc Reipublicæ formam obtinere, plane constat: quid enim leges, & statuta eius tanta auctoritate sancita, ac à Serenissimo Dominio Veneto approbata, aliter indicãt? quid bibliotheca tam varijs librorum generibus instructa? vnde cuiuis nationis membro, quos, & quot vult libros, vsui suo, domum transferre licet: quid ærarium, in commune ægrorum commodum, tot nummis, & thesauris ornatum? quid tandem consiliarij? quid procuratores? quid alij Senatores? quid inquam in officijs distribuendis, rebusque gerendis, tam insignis

ordo, & grauitas, præter veram Rempublicam loquuntur? Merito itaque vobis, hoc membri, ac medici nationis vestræ opus, animi mei erga vos officiosissimi testimonium, dico, & dedico; quod si benigno, quo soletis omnia, animo susceperitis; plus me vobis debere fatebor, quam, non dicam persoluere, sed scriptis, & oratione commemorare possim. Valete. Paduæ anno à virgineo partu 1608. 9. Kal. Martias.

Vestri omnium addictissimus

Petrus Bertellius.

IVSTVS CNVTIVS Candido Lectori S. P. D.

VNicus præcipue scopus scriptoribus, pariter ac oratoribus, esse solet; vt nimirum, in ipso statim exordio, attentos sibi concilient Lectores: idque duplici potissimum ratione; à dignitate inquam, & difficultate, materiæ tractandæ. Quod, si quis vnquam, & ego, in hoc Opusculi mei exordio, facillime obtinere possum. Siquidem quod ad medicinæ dignitatem attinet; ea vnicuique nota est: neque enim disertis oratorum flosculis hic ei corollam texere constitui. Quis enim non mihi vitio verteret, si tam amplas medicinæ laudes, tribus, quod aiunt, verbis perstringere conarer? cum (auctore Gellio) turpius sit frigide laudare, quam insectanter vituperare: & præsertim cum nulla, vt alliciamini, persuasione opus sit; vtpote qui iam diu sponte vosmetipsos Æsculapio deuouistis. Et quidem merito: nam quid ad bene merendum de quouis hominum genere, ad vitæ tranquillitatem salubritatemque, vtilius medicina? siquidem huius beneficio rerum naturam intelligimus, causas cognoscimus, signa deprehendimus, futura præuidemus, sanitatem conseruamus, & animam pene e corpore fugientem retinemus. Causas cognoscere,

beatitudinem dixero; nam felix qui potuit rerum cognoscere causas: futura praeuidere, plus quam hominis est: vitam vero conseruare, atque adeo restituere, plane Dei munus existimandum: ita vt non immerito primi medicinae inuentores, Apollo, & Æsculapius, in Deorum numerum à poetis relati sint. Quod ad difficultatem spectat, ea sanè tanta est, vt nemini non terrorem incutere videatur: & maxime, quia ipse medicinę parens, Hippocrates, artis medicae longitudinem, vitaeque humanae breuitatem considerans, omnem eius adipiscendae spem nobis eripit: innuens vix plures hominum aetates, vni medicinae addiscendae, sufficere. At ecce ego huic malo remedium inueni; & amplissimum vniuersae medicinae flumen angusto constrinxi alueo, quo ad vberrimam, lateque diffusam, Galeni doctrinam, vobis facilem breuemque viam paraui; & artis medicae longitudinem, vitae humanae breuitati, quantum fieri potuit, accommodaui. Non quidem in lucem vt prodiret; neque enim tantum mihi tribuo, vt abortum illum, vix foetum dixero, quem semestri spatio, in turbulenta illa mea peregrinatione, conceperam, vitalem edi posse crediderim: sed importunae (vt ita dicam) studiosorum preces ita me vrserunt, vt meum honorem publico commodo postponens, ipsis concedere coactus fuerim; antequam suprema manu imposita, rite eum perficere, aut, quod vrsae aßolent, lambendo polire, potuerim. Tu igitur, candide lector, quicquid illud sit, boni consule, & diu vale.

IVSTI

IVSTI CNVTII COMPENDIVM Vniuersæ MEDICINAE

Liber Primus.

PHYSIOLOGIA.

Medicina quid. Cap. I.

MEdicina est ars corporis humani vitia arcendi. Artem esse dico; non quod reuera, & omnino ars sit; sed quia plurima ex artis natura mutuatur: artis inquam, non actiuæ, sed factiuæ; & huius quidem, non quæ nouum opus conficit, sed quæ labefactatum restaurat. Subiectum eius est corpus humanum, quatenus infirmitati ac sanitati obnoxium: circa quod consi-

considerare debemus res naturales, non naturales, & præter naturam. Naturales sunt eæ, ex quibus constamus; vt elementa, temperamenta, spiritus, facultates, actiones, humores, & partes. Præter naturam sunt eæ, quæ nos destruunt; vt morbus, causa morbi, & symptoma. Non naturales sunt neutrius generis, hoc est, quæ bene adhibitæ sanitatem conseruant; & male administratæ, eam destruunt: vt sunt cibus, potus, somnus, vigilia, motus, quies, excreta, retenta, & similia: his etiam plantarum, mineralium, aliarumque rerum, ad medicinam pertinentium, contemplationem addidero. Neque aliud continet Galeni illa definitio, quæ in arte parua cap. 2. legitur, hoc modo; Medicina est scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum: salubria enim sunt res naturales; insalubria, præter naturam; neutra, non naturales. Scientiæ autem vocem non proprie, sed pro quauis cognitione, vsurpauit (vt ipsemet fatetur): nam reuera circa corpus humanum, quod subiectum medicinæ est, scire debet medicus, quodnam sit salubre, quod insalubre, & quod neutrum; salubre quidem, ad conseruandum; insalubre, ad sanandum; neutrum vero, ad præseruandum: idem de signis, & causis; nam ab illis cognitio, ab his curatio pendet. Finis itaque medicinæ est, affectus præter naturam arcere; sanitatem præsentem conseruando, & deperditam restituendo. Diuiditur medici-

na in theoricam, & practicam: illa, physiologiam, & pathologiam, amplectitur; hæc, diætam, chyrurgiam, & pharmaciam.

De elementis. *Cap.* 2.

QVoniam ea, quæ preter naturam nobis insunt, scire nequimus, nisi primum ea, quæ secundum naturam nobis insunt, cognoscamus: necessum est rerum naturalium explicationem aggredi. Vnde ad elementa sermonem conuertens, dico, elementum esse minimam partem mixti, quæ in alias specie diuersas diuidi nequit: ita tamen vt non sit mixti principium. Differunt enim principia ab elementis: primo, quod elementa ex seinuicem nascantur; principia vero non: secundo, quod principia sint prima, & immediata, vt materia, & forma; elementa autem ex ijs composita: tertio, quod elementa sint corporea, principia verò simplicia, & incorporea: quarto principia solo intellectu, sed elementa sensu tactus cognoscuntur. Elementis constamus non vno, sed pluribus: quod vel inde conuincitur, quia parte aliqua incisa, vel inflammata, acerbus excitatur dolor; dolor autem fit alteratione: at alteratio est vnius in aliud mutatio. Necessum est ergo vt adsit vnum quod mutatur; & aliud in quod mutatur; ac demum media per quæ (non enim ab vno extremo ad aliud, sine medijs transitur)

mutatio fieri possit. Sunt itaque elementa numero quatuor; nam quatuor sunt primæ qualitates: quæ cum sint accidentia, necessum quoque est quatuor prima dari subiecta, quibus insint; vt ignis, aer, aqua, & terra: quorum cum forma ignota sit, maluit Galenus ea, calidum, frigidum, humidum, & siccum, appellare. Et quidem merito: nam cum medicus sit sensualis physicus, debuit potius elementis, à sensibilibus qualitatibus, quam ab intelligibili forma nomen imponere: ac eo magis, quia istæ ex elementorum forma fluunt, illisque primo, & per se competunt. Ignis est calidus, & siccus; aer, calidus, & humidus; aqua, frigida, & humida; terra, frigida, & sicca. Quamuis autem singula elementa duas habeant qualitates; alteram tamen intensam, alteram vero remissam obtinent: siquidem alias contraria contrarijs, sine vllo intermedio, contigua essent; vt siccissimus ignis, humidissimo aeri; calidissimus aer, frigidissimæ aquæ; humidissima aqua, siccissimæ terræ: quod est contra naturæ ordinem. Quare dicendum potius, ignem intense calidum, & remisse siccum esse; aerem intense humidum, & remisse calidum; aquam intense frigidam, & remisse humidam; terram intense siccam, & remisse frigidam: remissio autem ista non ex contrarij permissione prouenit, vt in mixtis accidit, sed ab ipso creationis principio ita elementa facta sunt. Caloris proprium est, similia congregare,

gregare, & diſſimilia ſegregare: frigoris vero condenſare, & congregare, tam ſimilia, quam diſſimilia. Grauitas denique, & leuitas elementis attribuitur; duobus quidem abſolute, & duobus comparate: nam ignis abſolute leuis eſt; terra, abſolute grauis; aer autem, & aqua, non, niſi comparate, leuia aut grauia ſunt.

De mixtione elementorum. Cap. 3.

VT ex ſimplicibus elementis fiat mixtum, neceſſum eſt ea ad mutuum contactum peruenire, atque vniri: quod fieri non poſſet, ſi vnumquodque elementum propriam naturam obtineret; ob manifeſtam qualitatum contrariarum pugnam. Quod enim elementa proprium ſingula locum habeant, extra quem perdurare nequeunt, non ſolum à ſua forma obtinent; ſed etiam quia ab alterius elementi qualitate ita oppugnantur, vt cum eo conſiſtere non poſſint, ſed ad proprium ſuum locum effugere cogantur. Quare vniri in mixto nequeunt, niſi alterentur, & qualitates ſuas excellentes ſub vnius prædominantis elementi dominio deponant; remittant inquam, ita vt non amittant. Seruant enim omnia elementa ſuas in mixto qualitates; exerere autem eas manifeſte nequeunt, quia à prædominante reprimuntur, obtunduntur que: at poſt reſolutionem mixti, ſingula denuo ſuis naturis integra vigebunt.

Cœlum est mixtionis auctor, qui miscet, & non miscetur; quo omnia viuunt, & sine quo intereunt.

De temperamentis. Cap. 4.

EX idonea elementorum proportione in mixto, temperamentum resultat; estque aliud simplex, aliud compositum: simplex, vt calidū, frigidum, humidum, siccum: compositum, vt calidum humidum, calidum siccum, frigidum humidum, frigidum siccum. Atqui rursum est duplex, vel ad pondus, vel ad iustitiam. Ad pondus, quando elementa pondere ac mole æqualia sunt, ac ita inter se contemperantur, vt nullum sit cui prædominium tribuere possis. Ad iustitiam, quo, secundum iustitiæ leges, vnicuique tale datur temperamentum, quale, pro optima eius constitutione, & functione, requiritur: hinc aliud equo, aliud boui, temperamentum est: hinc cor temperatum dicitur, etiamsi insigni calore ferueat; hoc enim temperamento, pro actionibus eius obeundis, opus habet: sic quoque cerebrum, licet omnibus visceribus frigidissimum sit. Temperamentum denique est, vel generale, vel particulare: generale, quod totius temperiem respicit, & ex consensu omnium partium inter se, consurgit; frigidæ enim à calidis, humidæ à siccis, ita contemperantur, vt harmonia totius inde exoriatur. Particulare,

quod

quod partem aliquam considerat; & sic fieri potest, vt quis sit temperatus, etiamsi partem frigidam habeat.

De temperamentorum notis. Cap. 5.

VT aliquando intemperiem partium intelligere studiosi possint, necessum est, vt primum earum temperiem cognoscant: quare signa, quibus id palam fit, declarare nunc institui. Omnia enim rubra in corpore nostro calida sũt: alba, frigida: mollia, sunt humida: dura, sicca sunt. Illa igitur quæ rubra, & mollia sunt, ea necessario etiam calida, & humida esse debent; vt sanguis, hepar: quæ vero rubra, & dura, ea calida, & sicca sunt; vt cor: alba, & mollia, sunt frigida, & humida; vt cerebrum: quæ vero alba, & dura sunt, ea frigida, & sicca dixero; vt ossa. Quando autem aliquid medio modo se habet, media etiam ipsi qualitas tribuetur; & quanto magis à sanguinis rubedine recedit, tanto frigidius erit; & quanto mollius osse, tanto humidius futurum est: ita vt hinc vniuscuiusque partis temperies facile depræhendi queat. Totius autem temperamentum ex cute potissimũ cognoscitur; vt qui laxa, molli, raraque sunt cute, illi humidi sunt: qui densa, & dura, sicci iudicentur: glabra cutis, frigiditatem; hirsuta, caliditatem denotat. Deinde ex habitu corporis id colligitur: nam calidi, sunt graciles; fri-

frigidi vero, pingues; nisi ex accidenti aliter eueniat. Calidi, venas largas; frigidi, angustas habent. Tertio à iuuantibus, & lædentibus tẽperamenti signa petuntur: calidi enim offenduntur calidis, iuuanturque frigidis: sed frigidi læduntur frigidis, & iuuantur calidis. Postremo ab operationibus: nam calidi sunt iracundi, ingeniosi, & celeres; frigidi vero timidi, stupidi, ac tardi.

De Spiritu. Cap. 6.

SPiritus est primum animæ instrumentum; quo, ad actiones suas obeundas, vtitur: differens à calore innato; tum quod calor innatus, à primo ortus principio, ex semine, partibus ingenitus sit; spiritus autem post generetur; vt calorem innatum foueat, & conseruet. Tum etiam quod calor innatus stabilis, partibusque infixus sit: spiritus vero mobilis hinc inde volitet, ac humores, per se immobiles, per vniuersum corpus propellat; vnde impetum faciens ac impellens, Hippocrati nominatur, nisi dicere malis quod re idem sint, ita vt spiritus alter ingenitus sit, alter qui indies generatur: & alter fixus, alter vero mobilis vocetur. Quicquid sit, hic est vinculum, quo mediante, anima cœlestis, terrestri corpori, coniungitur: vnde calore extincto, quasi rupto vinculo, statim anima ex corpore euolat; atque hæc est mors. Vt autem

tem animæ facultates sunt tres, ita quoque triplex est spiritus ijs inseruiens; vt naturalis, vitalis, & animalis. Naturalis ex vaporosa sanguinis substantia, in hepate, generatur: qui tandem per venam cauam, ad dextrum cordis ventriculum, transit; ibique elaboratur, donec in sinistrum ventriculum ingressus, in vitalem conuertatur. Idem postea ad cerebrum translatus, ibique turbulento illo feruore, quem à corde acceperat, exutus, & stabilior redditus, animalis euadit. Naturalis, vna cum sanguine, per venas, ad nutritionem: vitalis, per arterias, ad vitam: animalis, per neruos, ad sensum, & motum, omnibus animantis partibus cõmunicatur. Aduertendum autem aerem etiã ex pulmone per arteriam venosam in sinistrum cordis ventriculum affluere; tum ad cordis refrigerium; tum vt ex eo vitalis spiritus generetur; quia, cum eo copioso animal opus habeat, naturalis spiritus non erat sufficiens pro generationis materia.

De animæ facultatibus. Cap. 7.

PRiusquam ad animæ facultates transeamus, de animæ essentia agendum esset; nisi ex philosophia hæc medicinæ studiosis constare supponeremus. Quare pro præsenti occasione, sufficit dicere; animam esse formam corporis potentia viuentis: à qua facultates, tanquam à

proprio principio, procedunt; eo modo, quo actiones à facultatibus, tanquam à propria causa, emanant. Cum igitur tres potissimum actiones in nostro corpore excellant, naturalis, vitalis, & animalis: fit vt tres quoque sint animæ facultates; naturalis inquam, vitalis, & animalis; quas nunc vna cum actionibus earum singulatim explicare aggredior. Distinguitur autem hoc modo, non quod plures sint animæ, sed quia, propter organorum diuersitatem, diuersas quoque operationes edit: quæ quidem varietas non ab anima, sed ab organorum diuersa structura, & temperamento, prouenit. Nam vniformis anima semper, & vbique eodem modo ageret, nisi à diuersis organis, ad hanc, vel illam actionem, determinaretur: vt à ventriculo, ad chylificationem; ab hepate, ad sanguificationem; ab oculo, ad visum; à lingua, ad gustum; & similiter. Quod agant organa, ab anima habent; sed quod hoc, vel illud agant, non ab anima, sed à propria compositione, & temperamento, obtinent: vnde etiam pes videret, si temperamentum, & structuram, visioni congruam, haberet, eadem enim ibi, quæ in oculo, est anima; & eædem facultates.

De naturali facultate, ac primum de Procreatione. Cap. 8.

Naturalis facultas diuiditur in procreatricem, & nutricem: procreatix nouam substantiam machinatur, mediante alteratrice, & formatrice. Alteratrice, quia vt ex semine fœtus exurgat, necessario mutari, atque alterari debet. Formatrice, quia hæc genito fœtui congruam delineationem, & singularum partium iustam figuram, magnitudinem, numerum, situm, & connexionem tribuit. Vt si artifex ex marmorea massa statuam facere velit, eam primo immutare debebit; tum ei iustam figuram, vt hominis, tribuet; postea ei non ineptam magnitudinem addet; ac in numero non errabit, sed duos oculos, duo brachia, binos pedes, & quinque digitos apponet; situ debito caput supra, pedes infra locabit; demum omnia optime connectet, vt digitos manibus, manus brachijs, brachia humeris, & similiter.

De auctrice. Cap. 9.

Conformatus fœtus auctrice opus habet, vt crescat: crescere autem sine nutritione nō potest, cum sine ea ne quidem viuere queat; quare nutrici facultati, accretio propriæ dicta debetur. Excludimus enim hinc omnem im-

propriam accretionem, vt illam quæ fit per appositionem, qua crescunt acerui, & vinum affusa aqua: & illam quæ fit per rarefactionem, qua pugillus aquę in decem pugillos aeris excrescit: atque illam quæ fit per repletionem, qua crescit vterus grauidis, spongiæ imbibita aqua, & vesicæ vento distentæ.

De nutrice facultate. *Cap.* 10.

NVtrix facultas nos nutrit, mediante attractrice, retentrice, concoctrice, assimilatrice, & expultrice: atquę hæ facultates omnibus, & singulis partibus insunt; earumque auctor est spiritus naturalis, in hepate genitus. Attractrice, vnaquæque pars alimentum sibi familiare prolectat: & quia concoctio in momento absolui nequit, propterea per retentricem illud retinet, vt coctioni tempus detur. Quando concoctum est alimẽtum, per assimilatricem id partibus agglutinatur: tunc enim actu tantum est alimentum, quando in partium substantiam conuersum, & ijs vndique simile factum fuerit; sic enim tantum proprie nutrit. Atqui hanc nutritionem tres manifestæ concoctiones præcedunt; vna in ventriculo fit, quæ chilifica dicitur, eo quod cibum in chylum, hoc est materiam cremori similem conuertat; non tantum insita ventriculi facultate, sed etiam vicinarum partium, instar prunarum ipsi subiectarum, ad-

miniculo; hepatis inquam, lienis, omenti, ac coli intestini. Dein chylus, in intestinum ilium protrusus, per venas meseraicas ad iecur transit, vbi secunda concoctio, sanguifica scilicet, perficitur; qua chylus in sanguinem mutatur. Tertia concoctio omnibus partibus communis est, rorificam nominant; quæ alimentum assimilationi præparat, ac quasi in rorem conuertit. Tandem insurgit expultrix, quæ heterogenea, coctione segregata expellit, noxiosque humores arcet: vnde quibus partibus hæc imbecillis inest, illæ morbis sũt magis obnoxiæ; quia aliæ in eas se exonerant, vt in catharris euenit. Obseruandum autem coctionem à digestione differre: coctio enim est cibi retenti alteratio: digestio vero est cibi concocti distributio. Motus itaque cibi à ventriculo ad partes solidas digestio dicitur: perficiturque à partis digerentis expulsione, & partis indigentis attractione. Vnaquęque enim pars, exhausta media, alimentum attrahit, attractum retinet, excoquit, & ex eo se nutrit; postea vero ad alias illud detrudit; & sic fit digestio.

De vitali facultate. *Cap. II.*

Vitalis facultas vitæ, & omnium actionum vitalium, pulsus inquam, & respirationis, causa est: vtiturque diastole, & systole. Diastole; pro aeris, ad refrigerium, & spirituum pa-

 bulum,

bulum, attractione: systole; profuliginum exclusione. Atque hæc potissimum in corde, arterys, pulmone, & cerebro, micat. Et quamuis nonnulli respirationem esse voluntariam dicãt; liceat tamen mihi, breuitatis causa, hic supponere; eam esse vitalem: tum quia pulmo inter vitales partes numeratur: tum etiam quia proprio motu mouetur, & per accidens tantum à musculis adiuuatur: immo nobis dormientibus, ac voluntate exutis, non solum proprio instinctu pulmo respirat; sed etiam musculos, cõtra eorum legem, absque voluntaria electione, coadiuuare cogit.

De animali facultate. Cap. 12.

ANimalis facultas sensus, & motus auctor est: sunt autem sensus, vel externi, vel interni. Externi quinque; quorum alij medio indigent, vt visus, auditus, & olfactus: alij sine medio fiunt, vt gustus, & tactus. Interni sunt sensus communis, phantasia, ratiocinatio, & memoria: quos sedibus distingui quidam non inepte volunt; ita vt sensus communis, & phantasia in anteriore cerebri parte, ratiocinatio in medio, memoria in posteriori habitet. Vnde læsa memoria, occipiti; phantasia, sincipiti; ratiocinatione, vertici remedia localia applicant: Galenus tamen ea futuræ coronali apponere iubet, propter cranei subtilitatem, ac commissu-

ræ raritatem; alijs enim locis ita crassum, & densum est, vt medicamentorum qualitates ad cerebrum penetrare non permittat. Motus denique causa est hæc facultas; at non eius quo cor, arteriæ, pulmo, & cerebrum mouentur; sed illius, quem musculi peragunt, hoc est illius, qui à nostra voluntate dependet; & quem subire, & non subire, pro libero nostro arbitrio, possumus.

De procreatione hominis. Cap. 13.

Antequam ab animæ facultatibus discedamus, admirandũ illud procreatricis opus, hominis inquam generationem, paulo accuratius explicare conuenit. Quemadmodum igitur omnia, quæ oriuntur, ex semine nasci videntur, sic etiam homo ex semine gignitur; eo non quidem in terram iniecto, vt plantarum, sed maris, & fęminæ congressu in vterum eiaculato: est enim vterus fœtui, quod terra plantæ. An autem masculino, & fæminino semine, ad hominis procreationẽ opus sit, ambiguum est: ego tamen vtroque opus esse credo; masculino quidem primario, & per se, fæminino vero secundario: neque enim aliam ob causam testes habent mulieres, quam vt in coitu semen vtero affundant.

De semine. Cap. 14.

Est autem semen substantia viscida, alba, ex sanguine à vena caua descendente, in testibus genita; & spiritu copiosissimo, ab arteria magna accepto, scatens. Hic spiritus in caussa est fœcunditatis; & nisi adesset, semen eiaculari non posset, sed vt in gonorrhæa, lachrimante quasi pudendo efflueret. Hic si multum abundet, masculus generatur; si paucus adsit, fæmella exurgit: non enim hoc dextro sinistroue vteri adscribendum est. Hic inquam in caussa est, quod frequenti coitu homo adeo debilitetur; non autem quod à toto corpore semen actu defluat. Hic ille est, qui in coitu genitales partes exquisitissimo sensu præditas, titillans ac pruritum excitans, totum corpus voluptate commouet: quæ tum maxima est, cum semen eiaculatur; eo quod tunc, spiritus vna cum semine conglomerati, partem maxime sensilem vellicent; eo modo, quo materia acris membranam quandam mordicans, horrorem concitat.

De sanguine menstruo. Cap. 15.

Alterum generationis nostræ principium, est sanguis menstruus; is scilicet, quem statis periodis, singulis vt plurimum mensibus, mulieres excernunt: sola quantitate excrementitius;

titius; nam propter caloris inopiam, cum totum sibi assimilare nequeunt. Nisi quod interdum fęculenti aliquid cum eo educatur; & maxime si mulier non omnino sana fuerit: vnde in fluore mensium non omnino tuta est venus; periculum enim, ne concepta proles, ex polluto sanguine inficiatur; & elephanthiasi, aut lepra, corripiatur: cuius rei nobile exemplum nuper vidi. At qualitate alias adeo benignus, & ad generationem adeo necessarius est, vt illæ, quibus menses desunt, omnino steriles sint: quare ante decimumquartum annum, & post quinquagesimum, mulieres ad generationem vt plurimum inutiles sunt; illis enim menses nondum fluunt, his autem fluere cessarunt. Sanguis hic est, ex quo parenchymata viscerum, & carnes musculorum ortum ducunt: hic est, quo fœtus in vtero nutritur. Idem ille est, qui per venas mammillares ad mammas profectus, ibique insita earum vi dealbatus, lac euadit; vnde infans, vtero egressus, familiare alimentum petit. Hic etiam sanguis nouem mensibus circa vterum coaceruatus, lochia (sic enim sanguis post partum copiose erumpens vocatur) causat. Admiror autem prodigiosa Plinij de hoc sanguine mendacia; qui tam malignas ipsi qualitates tribuit, cum tamen fœtum eo nutriri non neget. Neque excusationem, quam de lochijs aliqui adferunt, admitto: quamuis enim lochia, nouimestri gestatione labem quandam contra-

xerint, non tamen adeo venenata esse possunt; siquidem alias fœtum, ipsamque matrem extinguerent.

De conceptione, ac fœtus formatione. Cap. 16.

QVando semen in vtero conceptum retinetur, mulier concepisse dicitur: nam conceptio Hippocrati est seminis retentio. Et si vnitum semen remanserit, vnicus erit fœtus; si in duas partes disrumpatur, gemelli futuri sunt; si in plures, plures, modo spiritus sufficiant. Tandem conceptione facta, ac vteri orificio rite occluso, insurgit procreatrix facultas, formationem aggressura: qua autem serie, & quo ordine, partes nascantur; Galenus se nescire ingenue profitetur; hoc enim in secretis sibi seruasse, natura videtur. Cognouit tamen partes spermaticas, quæ totius quædam rudimenta sunt, primum gigni; & postea ex sanguine materno, ipsis affuso, parenchymata, carnemque musculorum pullulare. Perficitur fœtus, si masculus fuerit, trigesimo ad summum die interdum vigesimooctauo; si fæmella, quadragesimo secundo; interdum quadragesimo.

De motu, & situ fœtus in vtero. Cap. 17.

MOueri autem,& calcitrare incipit masculus tertio mense; fæmina vero quarto;& ab hoc motus principio certissimo cognosci poterit, num masculus vel fæmina gestetur. De situ infantis variæ auctorum sunt opiniones: ego tamen eum describam, quem autopsia in grauida, cui fœtum exsecui, obseruaui. Vidi enim eum in semetipso conglobatum esse; ita vt genua manibus appræhendat: in quas,inclinato capite, ita incumbit; vt digitorum nodi, oculorum caua subintrent, & nasus inter genua recondatur; clunes calcaneis insident.

De nutritione fœtus, ac de membranis eum inuoluentibus. Cap. 18.

NVtritur fœtus sanguine materno per venam vmbilicalem, quæ portæ ramus est in hepar attracto,& per totum corpus distributo. Nutritionis excrementa solida quidem nulla habet; serosa autem,intra amnios,& alantoidem deponit. Vestitur enim fœtus triplici membrana; quas pro eius tutela ante omnia,ex impuriore seminis parte,natura fabricauit. Prima amnios dicitur: hæc fœtui contigua, eum ab acrimonia vrinæ defendit. Secunda est alantoides. Tertia chorion,alijs placenta vocatur:

hæc

hæc ſubſtantia ſpongioſa prædita eſt, ita vt à membranæ natura recedere videatur: venis,& arterijs copioſiſſimis ſcatet, quarum beneficio, cotyledonibus vteri (hoc eſt oris vaſorum in vtero terminantium; latini acetabula vocant) firmiter amectitur. Ex hac vena vmbilicalis ſanguinem ſugit. Tres hæ membranæ inuicem connatæ, vnum tegmen conſtituere videntur, quod vulgo ſecundina vocatur: forte quia ſecundum in pariendo exit.

De partus cauſa. Cap. 19.

QVando perfectus, omnibuſque numeris abſolutus infans ad maturitatem peruenit, propter amplam magnitudinem, copioſius alimentum, & propter cordis feruorem, tranſpiratione non contentus, reſpirationem ex poſtulat. Quæ cùm in vtero non adſint, calcitrando membranas quibus inuoluitur diſrumpit, atque exitum vi parat. Tum etiam quia infantis magnitudo, lochiorumque copia, vtero valde moleſta eſt, & grauidæ abdomen ita implet, vt diaphragmatis motum, ac reſpirationem admodum difficilem reddat. Quare non ſolum vterus expultrice ſua vi, ſed etiam grauida, ad fœtum excludendum, omnibus viribus inſurgit. Nunc vteri oſculum, quod tot menſibus exquiſitæ clauſum fuit, dehiſcit: cuius rei rationem ignorans Galenus, admirabilem Dei proui-

prouidentiam summopere admiratur. Quando autem infans, vterus, & mater, simul agunt; feliciter succedit partus: quare parturientes tunc tantum ad emittendum, hortandæ sunt, cum dolores ingrauescunt; quia tunc vterus, & infans, laborant; sine quorum auxilio, in cassum illa se fatigat. Ruptis itaque membranis, ante omnia vrina exit; vulgus aquam nominat; tandem fœtus in caput prodit; tum secundinæ; postremò verò lochia succedunt.

De tempore partus. Cap. 20.

TEmpus partus varium est, sed tamen septimo, nono, & vndecimo tantum mense vitalis editur fœtus: octauo autem qui nascuntur, moriuntur. Ratio est non ea, quam Pithagorici de numerorum vi; Geometræ de dupla, & tripla proportione; & Astrologi de vario siderum aspectu somniant; sed geminus infantis labor, cui propter tenellam ætatem succumbere cogitur. Non autem de motu illo, quo alias in sinistrum dextrumue mouetur, loquor; sed de violento illo, quo exire nititur: nam septimo mense, quia tunc absolutam partium perfectionem adeptus est infans, vires suas explorat, & in hac luctatione valde laborat. Quod si ei robur non desit, disruptis membranis, in lucem prodit, ac superstes remanet: si vero ipsi vires non sufficiant, acquiescit, & ab incepto

opere

hæc ſubſtantia ſpongioſa prædicta eſt, ita vt à membranæ natura recedere videatur: venis,& arterijs copioſiſſimis ſcatet, quarum beneficio, cotyledonibus vteri (hoc eſt oris vaſorum in vtero terminantium; latini acetabula vocant) firmiter amectitur. Ex hac vena vmbilicalis ſanguinem ſugit. Tres hæ membranæ inuicem connatæ, vnum tegmen conſtituere videntur, quod vulgo ſecundina vocatur: forte quia ſecundum in pariendo exit.

De partus cauſa. Cap. 19.

QVando perfectus, omnibuſque numeris abſolutus infans ad maturitatem peruenit, propter amplam magnitudinem, copioſius alimentum, & propter cordis feruorem, tranſpiratione non contentus, reſpirationem ex poſtulat. Quæ cum in vtero non adſint, calcitrando membranas quibus inuoluitur diſrumpit, atque exitum vi parat. Tum etiam quia infantis magnitudo, lochiorumque copia, vtero valde moleſta eſt, & grauidæ abdomen ita implet, vt diaphragmatis motum, ac reſpirationem admodum difficilem reddat. Quare non ſolum vterus expultrice ſua vi, ſed etiam grauida, ad fœtum excludendum, omnibus viribus inſurgit. Nunc vteri oſculum, quod tot menſibus exquiſitæ clauſum fuit, dehiſcit: cuius rei rationem ignorans Galenus, admirabilem Dei proui-

prouidentiam summopere admiratur. Quando autem infans, vterus, & mater, simul agunt; feliciter succedit partus: quare parturientes tunc tantum ad emittendum, hortandæ sunt, cum dolores ingrauescunt; quia tunc vterus, & infans, laborant; sine quorum auxilio, in cassum illa se fatigat. Ruptis itaque membranis, ante omnia vrina exit; vulgus aquam nominat; tandem fœtus in caput prodit; tum secundinæ; postremò verò lochia succedunt.

De tempore partus. Cap. 20.

TEmpus partus varium est, sed tamen septimo, nono, & vndecimo tantum mense vitalis editur fœtus: octauo autem qui nascuntur, moriuntur. Ratio est non ea, quam Pithagorici de numerorum vi; Geometræ de dupla, & tripla proportione; & Astrologi de vario siderum aspectu somniant; sed geminus infantis labor, cui propter tenellam ætatem succumbere cogitur. Non autem de motu illo, quo alias in sinistrum dextrumue mouetur, loquor; sed de violento illo, quo exire nititur: nam septimo mense, quia tunc absolutam partium perfectionem adeptus est infans, vires suas explorat, & in hac luctatione valde laborat. Quod si ei robur non desit, disruptis membranis, in lucem prodit, ac superstes remanet: si vero ipsi vires non sufficiant, acquiescit, & ab incepto

opere

opere desistit; toto octauo mense quiescendo vires resumens, vt nono feliciter exire possit. Quod si autem ob aliquod inconueniens (non enim hoc à natura est) eundem conatum, quem septimo mense subiuerat, octauo, non refectis viribus, repetere cogatur, succumbat necessum est.

De humoribus. Cap. 21.

HVmores nostri corporis sunt quatuor, vt sanguis, pituita, bilis, & melancholia: omnium (teste Hippocrate) tanta est necessitas, vt quolibet eorum sublato, animal omne intereat. Nam iisdem nutrimur, quibus constamus: constamus autem quatuor humoribus; quos propterea elementa nostri corporis Hippocrates nominat. Vnde nisi quatuor quoque sint humores, quibus nutriamur, corpus nostrum, alimento destitutum, contabescet, ac sensim extinguetur. Generantur isti humores in communi sanguinis officina, hepate inquam: vnde etiam omnes simul coniuncti in uenis continentur; quod tum clarum est, cum venæ sectione sanguis extrahitur. Videmus enim singulos à seinuicem humores secerni: & bilem supernatare, melancholiam subsidere, sanguinem cum pituita medium occupare. Quia tamen in corpore nostro separati, & à seinuicem distincti non existunt; sed omnes in sanguine

guine vniti, atque eius rubedine tincti habentur; propterea aliqui non inepte eos cum adiectione expresserunt: & sanguinem pituitosum, pituitam; sanguinem biliosum, bilem; sanguinem melancholicum, melancholiam nominarunt. Sunt autem humores vel alimentarij, vel superflui: alimentarios hepar retinet, & per venas, ad corporis nutritionem, transmittit: superfluos autem à se ablegat, ad loca à natura destinata; vt singula suis locis declarabimus.

De motu humorum. *Cap.* 22.

QVoniam maximum in medendo vsum habet, humorum motus cognoscere, eius hoc loco considerationem, præterire non possum. Mouetur enim, & in corpore circumfluit, ac plus solito abundat; pituita hyeme, sanguis vere, bilis æstate, melancholia autumno. Sic quoque in pueritia, pituita; in adolescentia, sanguis; virili ætate, bilis; in senectute, melancholia magis luxuriat. Vnde quatuor ætates, quatuor anni temporibus, non inepte conferuntur: hyems enim, vt pueritia, frigida, & humida est; & naturæ pituitæ affinis: ver, vt adolescentia, calidum, & humidum est; & sanguini congener: æstas, vt virilis ætas, calida, & sicca est; & bili respondet: autumnus denique, vti senectus, frigidus, & siccus est; & melancholiæ congruit. Hinc fit quod hyeme

pitui-

pituitosis, vere sanguineis, æstate biliosis, & autumno melancholicis potissimum morbis affligamur. Quod quoque de ætatum decursu dicendum est: nam pueritia, pituitosis; adolescẽtia, sãguineis; virilis ætas, biliosis; & senectus, melancholicis morbis magis obnoxia est. Neque hoc Galeno aduersatur; qui non pueros, sed decrepitos, hyemi comparat: neque etiam Hippocrati, qui pueros plurimum calidi innati habere asserit. Cum enim calor ille, copiosa humiditate oppressus, & quasi suffocatus, actu non calefaciat; iure merito frigidi actu statuuntur, & potentia tantum calidi, quia aliquando idem ille calor, absumpto humido, in actum prodibit. Quod decrepitos Galenus hyemi conferat, ideo est, quia repuerascunt, & ad antiquam frigiditatem, humiditatemque reuertuntur: humiditatem inquam, non quidem innatam, hæc enim in illis fere absumpta est, sed excrementitiam. Quare quod de pueris hic dicimus, idem de decrepitis intellige. Alium denique motum à tẽpore humores habent: nam à media nocte vsq; ad auroram pituita commouetur; ab aurora vsque ad meridiem, sanguis; à meridie vsque ad vesperum, bilis; à vespero vsque ad mediam noctem, melancholia. Vnde fit quod morbi pituitosi, à media nocte; sanguinei, ab aurora; biliosi, à meridie; melancholici, à vespero exacerbari incipiant. Tertius est motus, quem non ex affinitate temporis, sed ex propria ipsorum

natura,

natura, humores obtinent; quo pituita quotidie; bilis singulo tertio; melancholia autem singulo quarto die mouetur. Atque hęc est causa cur febris quotidiana, quotidie: tertiana, tertio; quartana, quarto quoque die accedat: quia scilicet quotidianæ, pituita; tertianæ, bilis; quartanæ, melancholia causa est.

De sanguine. Cap. 23.

COeterum (vt reuertar vnde digressus sum) sanguis dupliciter sumi potest. Vno modo communiter pro sanguine partes heterogeneas habente, qui venæ sectione educitur: hic pituitæ bilis, & melancholiæ particeps est; sed à prædominio sanguis dicitur: hic inquam totũ corpus nutrit. Altero modo proprie pro sanguine homogeneo, puro, sincero, & ab alijs humoribus secreto: hic non totum sed partes tantum sanguineas nutrit; & de hoc noster sermo erit. Sanguis itaque est humor calidus, & humidus, ruber, & dulcis, ex tẽperatiore chyli parte, à mediocri calore genitus: hic omnium humorum copiosissimus nobis inest, quia multo etiam plures sunt partes, quæ eo nutriri debent; quam illæ, quæ alijs nutriuntur humoribus. Superfluus tamen nullus est, & propterea nullum superuacaneo sanguini receptaculum natura consignauit: nisi quod mulieribus singulis mensibus exeat; cuius rei rationem hic, bre-

uitatis causa, omitto. Est autem quædam in sanguine superfluitas, quæ serum sanguinis dicitur (de tota sanguinea massa loquor, vnicuique enim humori, suum est serum) hanc renes ad se trahunt, atque ex vena caua emulgent, & per vias vrinæ dicatas excernunt. Quando sanguis putredine, vel alterius humoris per mistione à natura sua recedit morbificus euadit, ac synochorum causa est. Porro illi, quibus præ cęteris hominibus sanguis abundat; sanguinei dicuntur: abundantiam autem hanc denotant hæc signa; vt faciei color rubicundus, totius corporis calor subhumidus, venæ turgidæ, & animus hilaris. Et forte hæc est causa, quod mulieres viris, & iuuenes senibus sint magis venustæ, ridibundæ, & dictis qualitatibus præditæ.

De Pituita. Cap. 24.

PItuita est substantia viscida, frigida, & humida, alba, & insipida, ex cibo pituitoso, in ventriculo genita, at in hepate perfectionem adepta. Excrementum autem illud, quod ex cerebro destillat, quamuis vulgo pituita vocetur, tamen magis proprie muccum dixeris. Proinde pituita duplex est, alimentaria, vel superflua: alimentaria est illa, quæ non solum partes humidas, vt cerebrum, nutrit; sed etiam quæ feruorem bilis temperat, cuius incendio alias omnia in nostro corpore consumerentur. Hæc illa

la est quæ facillimo negotio in sanguinem conuertitur; vnde quibusdam sanguis non bene coctus appellatur. Superflua rursum duplex est, naturalis, vel præter naturam: naturalem voco eam, quæ etsi non nutriat, suos tamen vsus habet: vt est non solum ea, quæ articulorum humectationi dicata est, muccilaginem nominant; sed etiam illa quam intestinis natura concessit; ne à bile, tertio quoque die affluente, corrodantur. Addo, & illam, quæ glandibus, quos plurimos nostrum corpus habet, continetur; nam & hæc quibusdam in locis manifestos vsus habet. Præter naturam est illa; quæ morbos parit: vt est primo acida, admodum frigida, quæ, instar fructuum immaturorum, dentes obtundit, & βουλίμιαν, seu famem caninam excitat. Altera est vitrea, valde etiam frigida; quæ, si calido loco obstruatur, intolerabiles (teste Galeno) cruciatus, & interdum colicos excitat. Tertia est gipsea, gipso similis; quæ nephriticis in calculos, & arthriticis in tophos conuertitur: hinc etiam interdum lapilli in asthmaticorum pulmonibus inuenti sunt; generatur ex vitreo calore exusta. Alia demum est pituita dulcis, aliquantulum calida, & à naturali parum differēs. Salsa autem multo calidior est, atque ex pituitæ putredine, aut seri salsi, aut bilis adustæ per mistione gignitur: sitim implacabilem causat; hinc hydropici semper sitiunt, licet ventrem aqua plenum habeant. Pituitosi, hoc est illi,

quibus præ cæteris pituita luxuriat, cognoscuntur, eo quod sint segnes, somnolenti, obesi, pallidi, & stupidi.

De Bile. Cap. 25.

BIlis est humor tenuis, calidus, & siccus, flauus, & amarus, ex tenuissima chyli substantia, à feruidissimo calore procreata. Calidum, & siccum dico non quod actu talis sit (omnis enim humor actu humidus est) sed quod facultatem calfaciendi, & exsiccandi habeat. Est autem bilis alia alimentaria, alia superflua: alimentaria, quæ vna cum sanguine partes calidiores nutrit, & sanguinem fluidum reddit, vt promptè per totum corpus discurrat. Superflua est vel naturalis, vel præter naturam: naturalis illa est, quam hepar in vesicam felleam reponit; at hæc non omnino inutilis est. Vtitur enim ea natura, cum ad stimulandum expultricem intestinorum facultatem; tum ad abstergendam pituitam crassam, in ijs contentam: habet siquidem bilis insignem abstergendi vim. Hunc itaque in finem vesica fellis proprium habet ductum, quo bilem in intestina, tertio quoque die exonerat: qui si obstruatur, bilis ad superficiem corporis regurgitat, vnde icterus, seu regius morbus resultat; tunc fęces albæ excernuntur, quæ alias flauo bilis colore tinctæ erant. Præter naturam illa est, quę naturę bellum indi-

xit: vt est primo porracea, succo porri similis; quam pituitam viridem aliqui nominant: generatur ex cibis in ventriculo, ob calorem præter naturam, corruptis, nec in chylum abeuntibus: aut ex oleribus praui succi. Secunda est vitellina, substantia, & colore vitellis ouorum similis; naturali bile multo calidior. Tertio est æruginosa, ita dicta, quod colorem æruginis referat; admodum calida, & mordax est: gignitur vtplurimum in ventriculo, ex adustione vitellinæ bilis. Quarta dicitur cærulea, ardore tantam acrimoniam adepta, vt partes erodat, atque exulceret: harum postremarum deiectiones ferè lethales sunt. Biliosi hoc est qui præ alijs flaua bile abundant; iracundi, celeres ingenio, & corporis motu, leues mente, & macilenti sunt; habentque totius corporis calorem mordacem, & colorem flauum, aut saltem vrinas flauas, & venas amplas.

De atra bile. Cap. 26.

HVmorem melancholicum, & atram bilem, vulgus medicorum confundere solet; cum tamen plurimum inter se differant. Siquidem atra bilis calidissima est, melancholia vero frigida dicitur: & atra bilis, tum fit, cum flaua bilis adeo aduritur, vt nigra euadat: hæc omnium humorum feruidissima, & mordacissima est; ita vt non solum partes, in quibus col-

ligitur, erodat; sed etiam quascunque attigerit, comburat. At quod magis est, terræ iniecta, eam attollit; & aceti in modum fermentat; bullasque, quales feruentibus iusculis innatare solent, excitat. De hac loquitur Galenus, cum ait, omnes mortuos esse, quos atram bilem excernere vnquam vidit: de hac intelligendus aphorismus, qui dysenteriam ab atra bile lethalem esse inquit; eo quod vlcus cancrosum in intestinis producat. Melancholiæ autem longe alia est ratio; hæc enim, etiamsi vel plurimum aduratur, nunquam tamen eam, quam dixi malignitatem acquiret: & quia nunquam ita elixari potest, vt in bilem conuertatur; propterea etiam nunquam atra bilis nominari debet. Male igitur facere mihi videntur illi, qui non solum melancholiam adustam, verum etiam sanguinem adustum, atram bilem vocant: nam quod nunquam in bilem conuerti potest, multo minus in atram bilem transformabitur.

De Melancholia. Cap. 27.

MElancholia est humor frigidus, & siccus, subniger, & acidus, ex crassiore chyli portione genitus: estque vel alimentaria, vel superflua. Alimentaria est boni sanguinis fæx, qua partes melancholicæ, vt ossa, nutriuntur: hæc turbulentam bilis velocitatem refrenat, spiritusque stabiliores reddit, atque ita in causa est,

quod

quod melancholici biliosis, & senes iuuenibus prudentiores sint. Superflua est vel naturalis, vel præter naturam: naturalem, iecur in lienem exonerat. Lien vero eam in stomachum transmittit, non solum ad excitandum appetitum (acidis enim appetitum excitari, etiam vulgo notum est) verum etiam ad corrugandum ventriculum, vt, pro meliori coctione, stricte cibos amplectatur. Melancholia præter naturam est, quæ plus iusto adusta, nigra euasit, quam aliqui per venas sedis (hæmorrhoidales vocant) excernunt. Melancholici sunt tristes, timidi sine causa, pusillanimes, inertes, & Euclione auariores; habentque iudicium deprauatum, & totius corporis colorem liuidum; si videlicet multo plus solito melancholia abundet.

De partibus. *Cap.* 28.

NOn hic exactam partium anatomen instituere decreui, sed Galenum lib. de diff. morb. imitatus, tantam earum cognitionem reuelabo, quanta pro hoc instituto tyrones opus habent. Illud itaque quod nec propriam vndiquaque circumscriptionem habet, nec vndiquaque coniunctum est, si vitæ particeps fuerit, pars animalis dicitur. Sunt autem partes aliæ similares, aliæ organicæ: similares dicuntur vel simpliciter, vel eo quod ad sensum tales appareant. Similares simpliciter sunt, quæ in

partes specie diuersas secari nequeunt; vt est caro musculorum, parenchymata, ossa, membranæ fibræ, cartilagines, & ligamenta: hæ actionem publicam nullam habent, sed tantum priuatam; qua alimentum attrahunt, retinent, coquunt, & sibi assimilant, & superflua demum expellunt. Ad sensum vero, quas similares quidem, sed minime simplices esse Aristoteles 2. de part. animal. cap. 1. docet: nam ex simplicibus componuntur; vt musculus ex carne, fibris, & tendine; nerui ex dura, piaque matre, ac medullari substantia; venæ, & arteriæ, ex duplici tunica, fibris, & ostiolis. Partium similarium aliæ sunt spermaticæ, aliæ sanguineæ: illæ ex semine, hę ex sanguine ortum habent: illæ sunt albæ, hæ autem rubeæ, & carnosæ dicuntur. Organicæ partes quas dissimilares vocant, eo quod ex similaribus fabricatæ sint, dicuntur instrumenta, nostri corporis actiones obeuntia; & congruam figuram, magnitudinem, numerum, & situm habentia. Harum cum Galeno de diffi. morb. cap. 4. diuersos ordines statuo: ita vt venæ, arteriæ, nerui, ac musculi, sint partes organicæ primi ordinis; nam etsi similares quodammodo sint, actionem tamen instrumentalem, & publicam edunt; siquidem venæ, & arteriæ, sanguinem; nerui spiritum animalem, distribuunt. Secundi ordinis illæ sunt, quæ plures istius generis actiones obire possunt, cum ex instrumentis primi ordinis componantur;

ponantur; vt nasus, oculus, digitus. Tertij demum ordinis sunt illæ, quæ ex instrumentis secundi ordinis constant, pluresque ijs actiones absoluunt; vt facies, manus, pes. Addere possemus quartum ordinem, vt complectatur partes ex instrumentis tertij ordinis conflatas; vt ~~faciem~~, brachium, & crus. Ex partibus organicis aliæ sunt principes, aliæ ministræ ac ignobiles: principes appello illas, quæ ad vitam simpliciter, & per se necessariæ sunt; danturque tantum tres, vt cerebrum, cor, & hepar. Testes itaque his non annumero; quia ijs exsectis, animal superesse potest. Ministræ ac ignobiles sunt illæ, quæ his inseruiunt, earumque gratia factæ sunt; omnes videlicet reliquæ, præter enumeratas; licet etiam inter has, aliæ alijs nobiliores sint.

Anacephalæoſis partium.

Partes n̄ri corporis ſūt vel
- Simi-lares eæq; vel
  - ſim-pliciter, & hę vel
    - ſpermaticæ, vt
      - cerebri ſubſtantia.
      - membranæ.
      - fibræ.
      - ligamenta.
      - cartilagines.
      - oſſa.
    - ſan-guineæ, vt
      - caro muſculorum.
      - paréchymata hoc eſt carnes.
        - hępatis.
        - cordis.
        - lienis.
        - renum.
  - ad sē ſum, vt
    - venæ.
    - arteriæ.
    - nerui.
    - muſculi.
- Orga-nicæ eęque vel ſunt
  - Primi ordinis, vt
    - venæ.
    - arteriæ.
    - nerui.
    - muſculi.
  - Secundi ordinis, vt
    - naſus.
    - oculus.
    - digitus.
  - Tertij ordinis, vt
    - facies.
    - manus.
    - pes.
  - Quarti ordinis, vt
    - caput.
    - brachium.
    - crus.

IVSTI CNVTII
COMPENDIVM MEDICVM.
Liber Secundus.
De conſeruanda valetudine.

De huius tractatus neceſſitate. Cap. I.

ABſoluta phyſiologia, hoc eſt rerum naturalium cõſideratione, ad ὑγιεινὴν optima tranſimus methodo: ita dictã, quod rerum nõ naturalium mediocri vſu, ſanitatem conſeruet. Cum autem ſanitas morbo prior ſit; ſequitur quoque artem ſanitatis tuendæ, therapeutica, quæ morbos curat, priorem eſſe; & forte non minus neceſſariam. Nam indeſinens ſpirituum effluuiũ, aere attracto; humidi innati conſumptio,

ptio, cibo, & potu, reparari debet; sic corpus vigilijs lacessitum, somno; motu defatigatum, quiete, reficiendum est: & reliqua pro conseruanda sanitate necessaria, nisi rite adhibeantur, morbos causare solent. Quare singulorum certos limites, quos vltra citraque nequit consistere rectum, opportune hoc loco constituere aggredior.

Quomodo conseruetur sanitas. *Cap. 2.*

PAssim apud medicinæ scriptores legitur, quod vti morbi pelluntur contrarijs, sic sanitas conseruetur similibus: at ego hoc de vere temperatis intelligendum existimo; nam certe illi, rebus temperatis adhibitis, in sua temperie conseruantur. Sed longe alia intemperatorum est ratio; nam illi similibus non conseruantur, sed offenduntur. Vt si calidi, calidis vescantur cibis, in morbos calidos incurrent: & frigidi, si frigidis fruantur, fieri non potest, quin morbis frigidis corripiantur. Quia igitur nullus fere temperatus existit, dicendum potius, modico contrariorum vsu sanitatem conseruari: hinc calidis, moderate frigida; frigidis, moderate calida; siccis, humida; & humidis sicca ad conseruandam valetudinem conueniunt. Sic enim, ne in deterius labantur, impeditur: & quantum fieri potest, ad perfectum temperiei statum trahuntur.

De

De Aere. Cap. 3.

AEr, cum pro cordis refocillatione, tum pro caloris innati restauratione, inuitis etiam nobis hauriendus; ac propterea corpus nostrũ alterare facillime potest: hinc non abs re Hippocrates in morbis diuturnis regionem, & aerem mutare suadet. Vnicè itaque studendum est, vt purus adhibeatur; talis inquam, qui nec stagnorum, nec paludum vaporibus infectus est, aut nebulosus euasit; nec ex profundo specu mephitim exhalante vitium contraxit; nec qui cloacarum, aut cadauerum fœtore, aliarumue rerum putredine coinquinatus est; nec qui editorum montium vallibus inclusus, nulloque afflatu ventilatus, situm, ac squalorem induit. Huiusmodi enim aer omnibus noxius est; qui autem contrario modo se habet, nulli non salubris existit, & maxime si temperatus fuerit; sed non semper iisdem qualitatibus affectus est. Nam hyeme, frigidus, & humidus; vere, calidus, & humidus, sed quodammodo temperatus datur; æstate, calidus, & siccus; autumno, inæqualis, sed vtplurimum frigidus, & siccus habetur. Quod si aliquando aliter eueniat, ita vt ver imbriferum, & aquilonium fuerit, aut æstas humida, & non admodum calida, aut reliqua anni tempora secus quã debeant offerantur, morbos lethales imminere Hippocrates docet. Quomodo

modo igitur quisque hac temporum diuersitate gerere se debeat, paulo infra declarabo. Sic quoque cum non omnes eiusdem sint temperamenti, non etiam omnibus idem aer prodesse potest: sed calidis, frigidus; frigidis, calidus; humidis, siccus; siccis, humidus; & temperatis, temperatus salubris est. Quare cum cuiquam contrarius aer occurrit, contrarietatem illam cęteris rebus non naturalibus corrigere debet. Vt calidi, æstuante cœlo, alimentis refrigerantibus vescantur; aeri meridiano se subducant; & cubiculi pauimentum refrigerantibus, vt folijs vitis, salicis, lactucæ, aut posca, conspergant: frigidi autem, aere frigido, contrarium agant; & sic de reliquis. Cęterum Hippocrates τὸ θεῖον, diuinum, quid in aere obseruat; quando scilicet qualitas aeris talis est, vt præter rationem naturalem morbos, & quidem malignos, inducat; quod in peste accidit, at hic alexipharmacis, proprijsque antidotis corrigendus est.

De Aqua. Cap. 4.

QVanta sit aquæ dignitas, & ad vitam necessitas, nemo dubitat; qui ea continuam humidi innati dissipationem resarciri non ignorat: vnde aqua, & igni olim damnatis interdici solebat; quod sine ijs, humidum, calidumque innatum perdurare nequeat. Quare optima nobis aqua eligenda, vt limpida, inodora; atque

atque insipida; nugantur enim qui saporem ei tribuunt: illa denique quæ omnium leuissima est, nempe quę cito calefit, citoque refrigeratur; & qua facile per coquuntur edulia. Summum igitur bonitatis gradum pluuiales obtinent: hæ siquidem Solis calore purificatæ, & ex tenuissima, & leuissima aquę parte, in aerem eleuata, generantur. Sed cauendú ne per tubos plumbeos defluant; cum enim plumbum admistam habeat cerusam, mordacem illis qualitatem imprimeret, vnde diarrheæ, & dysenteriæ. Neque pręterire hic possum nobile illud exemplum, quod nuper in religiosis monasterij S. Clarę, prope Mantuam, in suburbio Miarè obseruaui: cum enim hæ monachę orizam comedissent, coctam in vase æneo, recenter stanno illito (stannum autem nihil aliud est, quam plumbum album) & non abluto; plus quam triginta earum in diar rheam, cum insigni cardialgia misere inciderãt. Secundum locum merentur aquę fontanæ; tum scilicet cum aliquid ex natiuo frigore remiserint. Tertio dantur fluuiales, Soli expositæ, rapido cursu fluentes, & copiosa puppe frequentatæ; nisi limosæ, aut sabulosæ fuerint; tum enim tantisper seruandæ, dum sabulum subsideat. Putealis aqua, ob cruditatem, crassitiem, & grauitatem, eo quod immobilis, & Soli intacta sit, fere inutilis est; nisi leui coctione eius vitium corrigatur. Stagnantes aquas omnino ab humano vsu arcendas censeo. Niuales,

les, & glaciales, quamuis imperatoribus Romanis in delicijs fuerint; quos etiamnum hodie nonnulli delicatiores imitantur, cum Galeno, & Hippocrate tamquã mortiferas damno.

De potu. Cap. 5.

CVm sitis sit appetitus, à calida, & sicca causa productus, frigido, & humido potu sedari eum debere, nemo ignorat: videtur itaque aqua huic officio aptissima esse. Verum quia frigiditate ac humiditate multum excellit, non omnibus ea confert; sed illis tantum, qui propter temperamentum valde calidum, & siccum, vini potionem absque noxa non ferunt. At propter indomitum frigus, continua aquæ potatio cruditates, ac crassos humores generat. Quare melius sibi consulunt illi, qui vini inopiam ceruisia supplent, quam ex aqua, tritico, & hordeo conficiunt; additis floribus lupuli, qui ad defæcandum sanguinem vtilissimi sunt; & forte hoc zythum Ægyptiorum est, quo nimi loco vtebantur; multo grauius inebriat quã vinum. Animaduertendum autem vt probe cocta sit, eaque nec recens, nec nimis inueterata bibatur, minimeque si acorem contraxerit: tum enim obstruit, ac difficulter concoquitur. Quare per duos circiter menses seruanda est, donec exacte fæces subsideant. Ptisana denique non solum sanis, sed etiam ægris, & præsertim

ſertim pleuriticis, tuſſientibus, ac catarrhoſis, admodum vtilis eſt; conficitur autem ex hordeo ad crepaturam cocto, ſub finem coctionis addendo glycyrrhizam; cuius loco, in febribus, ego ſemina citri, vel ipſum malum citreum ſubſtituo, vt maiorem incidendi, abſtergendi, putredinique reſiſtendi vim habeat. Sic quoque poſca, ad ſedandam ſitim in febribus ardentibus, & malignis, nihil præſtantius exhiberi poteſt: paratur autem ex multa aqua pauxillo aceti permiſta; vnde ὀξύκρατον dicitur. Acetum enim penetrabili ſua tenuitate, aquam ad ſingulas corporis partes citiſſime perducens, eas benigne refrigerat, atque humectat, putredini non minus reſiſtens.

De Vino. Cap. 6.

QVamuis (teſte Galeno) vinum ſit calidum, tamen cum actualem frigiditatem, humiditatemque obtineat, nihil obſtat quo minus ſitim ſedare valeat. Sed abſtinendum eſt ab eo, quod caput moleſtat; vt eſt maluaticum, & omnia generoſa: atque ab eo, quod ægre digeritur, vt eſt auſterum. Dulce autem, & muſtum, licet multum nutriant, & facile per aluum deſcendant, tamen obſtructionibus, & flatibus iecur, ac lienem infeſtant. Quicquid igitur aquoſum fuerit, nempe quod ita tenue natum eſt, vt paucam ferat aquę permiſtionem,

vnde ὀλιγόφορον Galeno dicitur. quod inquam facile citoque digeritur,& vrinam ciet, id saluberrimum est. Atque huiusmodi Rhenanum esse videtur; si tamen rubrum vinũ dictas qualitates habuerit, omnibus alijs præferendum erit: & præsertim si subdulce fuerit, sic enim facillime in sanguinem conuertetur, & plurimum nutriet.

De bibendi tempore, & modo. *Cap. 7.*

DE omni potu obseruandum est,vt modice assumatur, ad sitim scilicet,& necessitatẽ, non autem ad ebrietatem: deinde etiam opportune bibendum, nam data tempore prosunt, & data non apto tempore, vina nocent. Quare statim ab exercitio, cum videlicet æstu corpus excanduit, bibere perniciosissimum est. Sic etiam vinum ieiuno stomacho haustum,& præsertim si generosum fuerit, neruos lædit, stomachumque flaccidum, & ad amplectendum cibum inutilem reddit: hinc famem potu sedari, atque extingui, aphorismus docet. Nec minus si à cibo,ante absolutam digestionem bibatur, coctionem perturbat, & crudos cibos per venas penetrare cogit; vnde obstructiones, & putredines. Quare bibendum non est, nisi plene absoluta sit digestio; aut nisi vna cum potu cibus capiatur. Sed inter prandendum sit sæpe parumque bibendum, vt proba fiat cibi cum

potu

potu permistio, vnde facilis concoctio digestioque proueniet; contrarium enim accidet illis, qui raro, & multum, inter edendum, bibunt.

De cibi qualitate. *Cap. 8.*

SIcut sitis est appetitus humidi (vt diximus) sic fames est desiderium sicci; non quidem absolute sicci, sed quod respectu potus siccum dici potest: vnde cuius qualitatis cibus esse debeat, vt famem sedet, colligere non est difficile. Sed ante omnia operam dare debet is, qui sanitatis tuendæ studiosus est, vt cibis boni succi, facilisque coctionis, vescatur; ne in cacochymiam, & cruditatem, incurrat. Cognoscuntur autem boni, & suaui sapore, & placida digestione: tantumque huic suauitati Hippocrates tribuit, vt cibos prauioris succi, dummodo gustanti suaues sint, in melius nutrimentum abire, minusque nocere dicat, quam illos, qui ex se quidē boni succi, sed gustanti insuaues sunt. Praui vero cibi, ex sapore insuaui, & molestia, quam inter coquendum stomacho inferunt, atque ex tetro, vel nidorolento ructu, discernuntur. Dulces itaque, quia cum voluptate percipiuntur, & ob saporis vicinitatem facillime in sanguinē abeunt, laudabiles sunt. Amari vero, & qui aspram acetositatem habent, quia ægerrime, & cum maxima calidi innati iactura in dulcem sanguinem conuertuntur, nō solum stomacho,

ſed etiam toti naturæ aduerſantur. Valde pinguia, & vnctuoſa, multum quidem nutriunt, ſed ſtomachum debilitant, appetitum proſternunt, & nauſeam mouent; vnde oleoſa ad prouocandum vomitum præſcribi ſolent, lentore autem ſuo obſtruunt, & ſi prima menſa ſumantur, aluum ſubducunt. Auſtera, atque acerba, ſtomachum corroborant, & prima menſa aſſumpta, aſtringunt, poſtrema vero, laxant; vt meſpila, corna, cydoneum, & ſimilia. Cęterum propter temperamentorum varietates, non omnibus idem cibus competit; ſed calidis, frigidus; frigidis, calidus; humidis, ſiccus; exceptis pueris, quos, licet humidiſſimi ſint, tamen nullo modo exſiccare decet; ſiccis vero, humidus confert. Sic etiam temporis inconſtantiam cibis proportionatis corrigimus, aeriſque iniurias euitamus: quare hyeme, calidus, & ſiccus: æſtate, frigidus, & humidus cibus præbeatur; & vti anni tempora, & ætates variant, ſic etiam ijs cibi accommodari debent.

De quantitate cibi. Cap. 9.

QVantitas cibi non omnibus eadem conuenit; nam plus iuuenibus, quam decrepitis; atque ijs etiam plus hyeme, quod tum ventres calidiores ſint, quam æſtate exhibendum eſt: plus denique baiulis, & qui potenti calore hiant, quam illis, qui ſedentariam vitam agunt, & lan-

& languido sunt stomacho. At hoc loco consilij Hippocratici immemores esse non decet, inquientis, præcipuum sanitatis studium esse, nũquam satiari cibis, & impigrum esse ad labores. Ita enim nullus, aut valde exiguus erit excrementorum prouentus, raroque morbi periculosi euenient: at cibus prȩter modum ingestus, malorum seminarium est. Proinde illos, qui ad saginam infarciri solent, tanquam humano nomine indignos, helluones, lurcones, popinones, viri sapientes nominarunt; alijsque similibus conuicijs affecerunt. Sed non solum in cibi quantitate, verum etiam in qualitate consuetudini aliquid condonandũ est: neque enim temere à veteribus dictum, consuetudinem esse alteram naturam; qua ipsa toxica sibi familiaria fecit Mithridates; qua, inquam, puella quædam, teste Auicenna, aconito assueuit; & qua aliqui multum, aliqui parum edere didicerunt. Cum igitur consueta, etsi deteriora, insuetis minus molestent; non temere quis ab inueterata consuetudine arcendus, nisi vrgente necessitate, sensim id fiat.

De edendi tempore, & modo. Cap. 10.

NVnquam cibus capiendus, nisi famelico, ac latrante stomacho: vt quando corpus inanitum est. Tunc enim omnium partium attractrix facultas insurgit, qua mediante, illȩ ex

venis alimentum sugunt; venæ autem id à iecore petunt; iecur denique hanc suctionem persentiens, eique ob sanguinis inopiam plene satisfacere nequiens, statim ad intestina tenuia conuolat, ex quibus mediante vena porta (quę etiam vno insigni ramo totum ventriculi fundum permeat, vt in magna necessitate, ex ipso ventriculo chylum iecori suppeditare queat) valide chylum trahit; intestina demum tenuia ventriculum molestant; quam molestiam ventriculus ægre ferens, ex cibo remedium desiderat; quod desiderium, continua hac suctione causatum, fames dicitur; & tunc diutius à cibo abstinendum non est. Nam si illiciente, ac stimulante appetitu, ventriculo cibum differas, prauis, & putridis humoribus, hinc inde, ex ipsis excrementorum receptaculis, attractis implebitur, eosque ad partes in escam inhiantes trãsmittet: vnde aliquando morbi maligni proueniunt; ita vt dici solet, vbi λιμός, ibi λοιμός; vbi fames, ibi pestis. Omitto quod calor innatus, deficiente pabulo, proprium subiectum, humidum inquam primigenium, depascat. Atque hæc est causa, quod extremæ inediæ, tã ægros, quam sanos, magis offendant; quam summæ repletiones. In illis enim calor, deficiente materia in quam agat, proprium subiectum inuadere cogitur; atque ita humidum innatum, quod ægerrime restitui potest, depopulatur: in summis vero repletionibus, id nõ accidit. Porro

quem-

quemuis cibum, non deuorare, sed probe mandere oportet, vt minus caloris innati circa eius coctionem consumatur; nam cibus bene mansus, semicoctus dicitur. Neque etiam parum interest quo ordine cibi capiantur: cauendum enim ne astringentia laxantibus; sicca, & arida, liquidis; concoctu difficilia, facilibus præmittantur: siquidem hæc, quando cocta sunt, ab illis, quo minus digeri possint, impedita, in stomacho corrumpuntur.

De Pane. Cap. II.

Omnium maxime familiaris cibus homini panis est: eo igitur vescatur, non quidem calido, sed recenti, probe salito, fermentato, subacto, & cocto. Primum autẽ bonitatis gradum, siligineus, vel triticeus, possidet; siquidẽ hic plurimi est alimenti, ac pauci excrementi: fit enim ex optima, & pura tritici farina; quæ flos dicitur. At quanto hic magis furfurosus fuerit, tanto minus nutriet, tantoque deterior erit. Panes qui fiunt ex hordeo, milio, & panico; exiguum corpori alimentum præbent; & propterea excrementis nos implent: nam hoc de omni cibo verum est, vt quicumque minimum habet alimenti, is plurimum habeat excrementi, & e contra. Illi denique panes, qui ex secali conficiuntur, stomachũ grauant, ægre coquuntur, ac parum nutriunt: quare agrico-

lis, atque Alexandrinis Galeni 2. aphor. 20. relinquendi, quod si vero triticum, ex æquis partibus, illis misceatur, laudabilis fiet pauperum panis. Panis azymus, ne obstructiones eueniãt, omnibus vitandus est: atque eo etiam nomine, omnia placentarum, ac liborum genera.

De Pulmentis. Cap. 12.

PRimum Romanis cibum, non panem, sed pultem fuisse, Plinius lib. 18. cap. 8. auctor est: cuius, hac tempestate, in pueris educandis; ac primis etiam mensis, frequens est vsus. Conficitur autem, ex aqua, & farina probe cocta: sed melius Belgæ, ex lacte, & farina, parare pultem solent. Laudabilius multo est pulmentum illud, quod ex iure carnium, pane fermentato bene trito, coquitur; Itali panatellam vocant: cui aliquando additur caro capi, minutim contusa, ad corporis emaciati refectionem, viriumque restaurationem. Tertium pulmenti genus, non minus ægris, quam sanis vtile, ex cremore hordei, aqua, aut melius iure, cocti, & per setaceom redacti, conficitur, addito saccharo; febricitantibus valde accommodatum, moderate refrigerat, humectat, abstergit, & plurimum nutrit. Alij autem illud, ex farina hordeacea, iure carnium, & saccharo, præparant: hoc pulmenti genus, propriam Hippocratis ptisanam, esse volunt; aliqui, non præter rationem,

tionem, amigdalas adiungunt. Pulmentum orizæ moderate aſtringit; & ex lacte coctum, dolorem lenit: vnde dyſentericis magno cum fructu præbetur; at frequens eius vſus, craſſos humores producit. Ab oleribus, quantum fieri poteſt, abſtinere debemus; cum nullum eorum, teſte Galeno 2. de alim. fac. 2. ſit boni ſucci. Pari ratione legumina, auctore Hippocrate 4. de rat. acut. 7. vitanda ſunt: eo quod omnia parum nutriant, & prauos humores, flatuſque copioſos, generent. Attamen decocto cicerum, ad mouendas vrinas, euocandos menſes, & renum calculos frangendos, feliciter vti ſolemus: facto præſertim ex ciceribus nigris, vel rubris, cum polio montano, anonide, radice apy, graminis, eringij, fæniculi, & biſmaluæ. Huic etiam propoſito, aqua florum fabarum, vtiliſſima eſt: ſed renibus exulceratis, caute ab illis abſtinendum. Sic quoque ex farina fabarum vtile emplaſtrum conficitur, quod præclaram detergendi, & refrigerandi vim habet. At nihilominus, nec ciceres, nec fabæ eſui conueniunt.

De lacte. Cap. 13.

LAc nihil aliud eſt, quam ſanguis in mammis dealbatus, ita vt facillime rurſum in ſanguinem conuerti poſſit: quare infantibus vtero egreſſis familiare hoc alimentum ſum-

ma naturæ prouidentia destinatum est. Sed nunc etiam adultis, tam in medicamentis, quam in cibis familiaris est lactis vſus: eligendum autem id quod perquam album, & dulce est; nam acidum ægre digeritur, obstruit, ac parum nutrit. Humanum lac omnium temperatissimum est: cui ſuccedit caprinum; licet aliquanto ſiccius videatur. Ouillum craſſius est, minus ſeroſum, & præpingue. Vaccinum cæteris longe pinguius, & craſſius habetur. Aſininum vero alijs pinguedine cedit ſed tenuitate, & ſeri copia ſuperat quo nomine in defectu humani lactis vtiliter tabidis, hecticis ac præter rationem emaciatis propinari ſolet. Nam cito per venas tranſit, plurimum nutrit moderate refrigerat, ac humectat; vnde ipſorum febriculæ proportionatum est remedium. At aſinini lactis inopiam caprinum ſuppleat: ouillum enim, & vaccinum, propter craſſitiem, & digerendi moleſtiam, ſanis potius quam ægris conuenit. Animaduertendum autem quod illis, qui intemperie valde multum calida, aut admodum frigida, laborant, nullo modo lac dandum ſit: Nam propter intemperiem calidam Hippocrates, multum febricitantibus, ſitibundis, ac biliosa deycientibus, lac prohibuit: ego hic omnes, inflammatione alicuius viſceris affectos, ſubintelligi velim. At propter intemperiem frigidam, illis quibus multum ſanguinis effluxit, lac denegat. Et ratio est quia in

intem-

intemperie calida, serum à caseo separatur (& fit lacschiston à χίζω vel χάζω dictum; Belgis schistemelc: hinc lento igne lac coquere mulieres didicerunt) tenuiorque pars, propter elixationem, ad caput ascendit, cum ex se lac flatuosum sit, sæpeque sanis caput inflet: vnde, etiam caput dolentibus à lacte abstinendum. Crassior vero pars in stomacho relinquitur, vnde flatus (natura enim lactis flatuosa est) & obstructiones proueniunt: quare hypochondriacis, & quibus borborygmo ilia murmurant, nocent. In intemperie frigida, lac in stomacho acescit; cum calor, quo coqui, & digeri deberet, desit: vnde infinita nasci possunt incommoda. Quare ne quidem tabidis, hecticis, emaciatisue, lac conuenit, si vllum supradictorum signorum adfuerit.

De lacticinijs. Cap. 14.

Sicut in sanguine quatuor humores reperiri diximus, sic quoque quadruplicem in lacte substantiam consideramus. Illud enim quod serum dicitur, bili respondet: caseus melancholiæ, quam atram bilem nonnulli perperam (nunquam enim humor tam malignus, in tam benignum alimentum conuerteretur) appellant: butyrum ex sanguine, & pituita temperatum est. Serum (teste Mesue) leniter aluum subducit, bilem educit, sitim restinguit, atte-

nuat, abstergit, bilemque non solum flauam, sed etiam atram temperat, earumque acrimoniam obtundit: quare vtiliter febricitantibus, & obstructionibus affectis præberi solet. Caseus vtile quidem alimentum, si modice sumatur: prima mensa, aluum cohibet; postrema vero, laxat, & coctionem adiuuat: attamen propter lentorem, ac viscidıtatem, obstruit, ægreque digeritur. Melior est recens, nam vetus, licet gratior sit, eo quod linguam parumper vellicet, tamen multo difficilius concoquitur, vehementer obstruit, & frequens eius vsus crassam pituitam, tophos, renumque calculos, gignit. Butyrum ita temperatum est, vt nulli non sit vtile: laxat, aperit, atque emollit; vnde emplastris maturantibus, ac dolorem sedantibus, merito immiscetur.

De Ouis. Cap. 15.

OVa, inter omnia ciborum genera, primas tenent; ita vt nec sanis, nec ægris, quicquam præstantius dari possit: multum, & cito nutriunt, & breui tempore vires restaurant, prolificumque semen augent. Gallinarum oua cæteris sunt præstantiora; deteriora vero, anatum; & his quidem, anserum; pessima denique, olorum, & pauonum: hæc namque praui odoris, & saporis sunt. Recētia veteribus longe sunt præferenda; & si Horatio credimus 2. satyr. 4.

Longa

Longa quibus facies ouis erit, illa memento,
Vt succi melioris, & vt magis alba rotundis,
Ponere: namque marem cohibent callosa vitellum.

Vitellus quoque albumine laudabilior existit: nam albumen, frigidum est, ægre concoquitur, parum nutrit, ac pituitam generat. Coctione triplicem oua differentiam sortiuntur; ita vt alia sint dura, alia tremula, alia vero sorbilia. Dura, aluum cohibent, difficillime digeruntur, obstruunt, crassos humores producunt, & multis modis nocent. Tremula, quæ instar lactis semicoagulati tremant, omnibus antecellunt; probe nutriunt, & facile digeruntur. Sorbilia etiam laudantur; sed quia velocius subducuntur tremulis, minus etiam nutriunt. Coquuntur denique oua, vel cum putamine, vel extra: cum putamine, maxime probantur elixa; minus, quæ super prunis assantur; minime vero, quæ sub cineribus feruentibus decoquuntur. Extra putamina, ea cæteris longe præstant, quæ integra in feruentem immerguntur aquam; deteriora sunt, quæ ex oleo, aut butyro, sartagine friguntur; pessima vero, si ad duritiem torreantur.

De Carne. Cap. 16.

Conueniens admodum, ac salutare humano generi alimentum præbet caro: at non omnis eundem bonitatis gradum obtinet. Melior

enim eſt volucrum, quam quadrupedum caro: præſtantior etiam, faciliorisque coctionis, iuniorum, & pinguium, quam ſenum, & macrorum animalium. Quare alimenti bonitate primas tenent, phaſiani, perdices, alaudæ, attagenes, pipiones, merulæ, turdi, turtures, & paſſeres: hi enim exſiccandi, attenuandi, atque aperiendi efficacia, ingenio prodeſſe dicuntur. Non multum his inferiores ſunt, capi, pulli gallinacei, & iuuenculæ gallinæ: & forte temperatiſſima hinc caro petitur. Ex quadrupedibus, vitulina, hœdina, & agnina expectenda eſt: bubula enim, & ſuilla, licet bonum quoque ſuccum generent, difficilius tamen coquuntur; quare baiulis, agricolis, & Alexandrinis, qui ſalſamentis, & porris veſci conſueuerunt, magis conueniunt. Si enim potenti ipſorum calori, tenellas pipionum, perdicum, carnes obtuleris, fieri non poteſt, quin adurantur, torreantur, ac corrumpantur; conſuetudinis itaque hic etiam non immemores eſſe oportet. Ex partibus animalium quoque præferuntur, mammillæ, teſtes, iecur, renes, alæ, collum, & cauda. Fœmellæ denique maſculis, vtpote pinguiores, antecellunt: illorum enim carnes, materia pinguedinis, propter feruorem libidinis, in ſemen mutata, ſtrigoſæ fiunt. Niſi forte caſtrati fuerint; tum enim fœmellis longe ſunt meliores: hinc capi, gallinis; boues, vaccis præſtant. Carnes elixæ facile coquuntur,

tur, plus humectant; sed assæ ægrius coquuntur, & plus nutriunt.

De Piscibus. Cap. 17.

SIcut nulla fere caro insalubris, sic nullus fere piscium salubris existit: omnes enim plurimam pituitam gignunt, & facillime in stomacho putrescunt. Quid? ergone piscium esum plane prohibes? minime: sed quando cibum aliquem vitiosum esse dico, de frequenti eius vsu, intelligi velim. Attamen ægris omnino piscibus interdico: sanos vero vt, quantum fieri potest, rarissime ijs vescantur, admoneo. Meliores sunt illi, quorum substantia quodammodo dura, & friabilis est; qui odorem, & saporem gratum habent: molles vero, viscidi, & glutinosi, quique tetrum olent, fugiendi sunt. Laudabiliores etiam sunt pisces, qui in bonis aquis degunt; vt in fluuijs limpidis, & qui rapido cursu feruntur: sed ab ijs, qui in stagnis capiuntur, abstinere oportet. Marini, vt plurimum boni habentur. Assandi potius, aut frigendi (sic enim mal g na eorum humiditas aliquantulum absumitur) quam elixandi. Condiendi aceto, quia vim habet incidendi, abstergendi, putredinique resistendi; aut alijs, quæ tali facultate pollent, qua eorũ malitia aliquo modo corrigatur; vt est sal, piper, zinziber.

De exercitio. Cap. 18.

PRæclara Hippocratis sententia, sanitatis studiũ in duobus consistere, docemur; nunquam videlicet satiari cibis, & impigrum esse ad laborem: de priori membro abunde actum est; quare ad alterum nunc transferenda oratio. Laborem itaque potius, quam exercitium, dixit Hippocrates: non enim de quouis motu intelligi voluit (siquidem leuiter deambulantes ab otiosis nihil differre Galenus scribit) sed de illo, qui laborem, & conturbatum anhelitum, concitat. Hic nisi adhibeatur, corpus nostrum, otio refrigescens, copiosam pituitam, & aceruos excrementorum, congerit. Modica autem exercitatio, vapores, & excrementa meatuum, discutit, calorem innatum auget, intenditque; quo expeditius omnes nostræ actiones perficiantur; non solum inquam naturales, sed etiam vitales atque animales. Varia inueniuntur exercitiorum genera; vniuersalia quidem, quæ totum corpus, atque artus corroborant; vt ludus paruæ pilæ, & luctatio. Particularia, quæ partem tantum confirmant; vt cursus, & concitata deambulatio, crura; pugilatus, brachia; equitatio, stomachum, intestina, totumque abdomen; vociferatio, cantatio, & alta locutio, pulmonem, & vniuersum thoracem. His etiam frictio annumerari potest; quæ in illis, qui propter

pter

pter virium imbecillitatem, exerceri non possunt, exercitij vicem supplet.

De exercendi tempore, & modo. Cap. 19.

TEmpus exercitij ineundi est, non ab assumpto cibo, siquidem hoc valde noxium foret; tum quia coctionem impediret, eo quod cibus per ventriculum fluctuaret, ac instrumentis coctioni dicatis adhærere non posset; tum etiã quia calor ad exteriora prouocatus, instrumenta coctionis frigida relinqueret; tum maxime quia crudus, & indigestus cibus in omnes animalis partes raperetur. Quare opportunum exercẽdi tempus erit, cum hesternus cibus probe digestus fuerit, hoc est, cum iam denuo cibãdi tempus instat: quod Hippocrates innuere voluit, cum hortatur, vt labor cibum præcedat. Verumtamen ab assumpto cibo stare, aut pedetentim obambulare confert, vt cibus in fundũ ventriculi facilius descendat. Exercitij modus, mensura, & terminus, sit faciei floridus color, & primi sudores: neque enim ad extremam lassitudinem fatigari conuenit; sicut enim moderatus ille motus calefacit; sic immoderatus, calido humidoque naturali exhausto, refrigerat. At non omnibus eadem est exercitij mensura: nam pituitosi, quia frigidi, & humidi sunt, multum exercendi; siquidem exercitium calefacit, & desiccat: biliosi vero, parum: immo illis, qui

temperamenti sunt valde calidi, & sicci, quies confert. Nam, vt exercitium calefacit, & desiccat, sic quies refrigerat, atque humectat: hinc etiam hyeme exercitium, æstate otium præcipiendum est. Obserua quoque, vt ante exercitium alui, & vesicæ excrementa exoneres: fieri enim posset, vt horum putredine ad superficiem prouocata, morbi, & præsertim cutanei nascerentur.

De Somno. Cap. 20.

CVm ex continuo laboris diuturni tenore, virium resolutionem animali imminere, natura videret, salutare lassitudinis remedium adinuenit, cui somno nomen. Quo vires labore collapsæ, ingenti fœnore restaurantur: quo inquam, calore ad ima retracto, melius perficitur non solum stomachi, & hepatis, sed omniũ quoque partium concoctio: quo denique, coctionis vaporibus intus reseruatis, qui alias dissipantur, totus corporis habitus blande calefit, & humectatur. Fit enim somnus calore, & spiritu intus recondito (vnde extremorum quidam languor, & tremor: vidi quendam, ex alto sopore excitatum, ita trementem, vt de morbo suspicaretur, cum tamen nihil se timere diceret: at ego accersitus, eum bono, vt esset animo admonui, & tandem, me adhuc præsente, calore ad externa regresso, sponte tremor desijt:)

fijt:) porisque cutis occlusis ita vt vapores ex triplici coctione eleuati, per illos exhalare nequeant; quare continuo ad caput ascendunt, vbi à frigiditate cerebri in soporiferum humorem coguntur, quo cerebrum aggrauatur, ita, vt, facultate animali oppressa, ac ligata, sensu motuque priuemur, & in dulcem somnum rapiamur. Ex his facile est colligere, quare nocte, quam die; hyeme, quam æstate; somnolentiores simus: siquidem hyemale nocturnumque frigus ita cutem condensat, vt nullus fere vapor discuti possit; ideoque omnes caput petere coguntur. Vnde etiam hyeme catarrhi, & fluxiones frequentiores, quam æstate.

De dormiendi tempore, & modo. *Cap. 21.*

TEmpus dormiendi opportunum est, non diurnum, sed nocturnum: siquidem alta silentia noctis, somnum conciliant; diurnæ vero turbæ, impediunt: nocturnum frigus, poris occlusis, intro spiritus repellit; calor diurnus, ijsdem reseratis, extra prolectat: nocturnæ tenebræ, spiritus, quia luminosi sunt, & tenebras fugiunt, in ima recondunt; diurnum lumen, quia ætherei sunt, & lumen amant, eos euocat: tenebræ obiecta sensibus eripiunt, vnde facilis; lumen, ea sensibus repræsentat, vnde difficilis est somnus. Quam igitur naturæ aduersetur, meridiari, ac interdiu dormire, quisque viderit:

rit: ita vt nemini, nisi nocturnis vigilijs lacessitus, aut immodico æstu exhaustus, aut alia lassitudinis occasione coactus fuerit, interdiu dormiendum sit; pueris, ac senibus, & qui id facere consueuerunt, exceptis. Decumbat dormiturus, in dextrum, vel sinistrum latus cruribus, ceruice, & brachijs, paululũ reductis: hic enim plærumque decubitus sanorum est. Porro moderate somno vtendum; ad necessitatem scilicet, non ad fouendam inertiam: si enim tantũ viuimus, quantum vigilamus: si inquam somnus nihil est nisi mortis imago: quis non quantum, citra animalis iacturam, fieri potest; ab eo abstineat? Omitto quod sicut vigiliæ, sic quoque somnus, si modum excesserit, infinitos propemodum morbos gignant: siquidem calorem intus occlusum suffocat, atque vaporibus, qui in omni coctione continuo eleuantur, ita corpus humectat, vt membra flaccescant; ijsdem denique ad caput transmissis, catarrhos, paralysin, & similes affectus, causat: adde quod digestionem impediat, & excrementa detineat; somnus enim omnem excretionem, præter sudores, sistit. Tantũ igitur somno indulgendũ, quantum, pro cibi cõfectione, necessariũ est: ad quod, licet aliqui plus, aliqui minus tẽporis requirant, tamen omnibus fere septem horarũ spatium sufficere videtur. Verum pro diuersa temperamenti ratione, ætate, atque anni tempore, minuere, aut prolongare hoc tempus possumus:

animaduertentes longas vigilias calefacere,& deficcare; somnum vero immodicum refrigerare,& humectare. Quare pituitosis, ac obesis, vigiliæ; biliosis, ac macilentis, somnus longior conducit: hyeme multum vigilandum, vt intemperies tēporis corrigatur; æstate vero multum dormiendum, tum vt siccitas temporis emendetur, tum vt caloris innati effluuiū impediatur. Pueris etiam, ac senibus longior somnus præcipiendus est: pueris, quia propter laxum, & mollem habitum, immodica fieret calidi natiui dissipatio, nisi frequenti somno intro retraheretur: senibus, vt siccitas eorum moderetur, imbecillesque operationes iuuentur.

De excernendis. *Cap. 22.*

CIborum multum nutrientium vsus interdum in causa est, quod vltra modum humorum quantitas excrescat: quod si autem omnes pariter ex æquo augeantur, fit plethora; si vero vnus tantum præ cæteris luxuriat, cacochymia vocatur. Plethora, seu plenitudo duplex est, tensiua, & grauatiua. Tensiua est, quę adeo vasa tendit, vt periculum sit nė rumpantur; talis est Athletarum: hæc nisi soluatur, extemporanęæ morti obnoxia est. Grauatiua est, quando, licet vasa non tendantur, tamen corpus, plus quam vires ferunt, repletione grauatur. Cognoscitur tensiua, ex venarum tumore,

& molesta tensione: grauatiua, ex totius corporis grauedine, pigritia, & spontanea lassitudine. Huius quoque generis est sanguis menstruus, & semen genitale; quia sola quantitate infestant: attamen si plus iusto retineantur, putrescunt, ac veneni virulentam naturam induunt. Nam quo quid perfectius est, secundum naturam se habens, eo deterius, quando ab eo degenerat; siquidem mutatio fit, à contrario in contrarium, ab optimo in pessimum. Quare ex mēsibus retentis, omnia fere morborum genera pullulant, quæ omnia vtero debentur: at ex nimis fluentibus, solum hoc, quod nimis fluant. Sic etiam ex semine retento suffocationes; sed immoderata eius effusio, plus nocet, quam si eo plus sanguinis centies effluxisset (hinc passeres, quod sint admodum salaces, vix duos annos excedunt) corpus eneruat, visum hebetat, & nihil est, quod æque cerebrum, ac neruos, offendit. Sunt denique alia, non sola quantitate, sed etiā qualitate excrementitia: vt fæces, vrina, sudores bilis, melancholia, sputum, & muccus. Hæc si assumptis probe respondeant, nihil incommodi; si vero plus minusue, quam assumptorum qualitas fert, excernantur, morbos causant. At etiam flatus his annumerandos esse, colica, & similes intolerabiles affectus docent: vnde merito Claudius Imperator (vt est apud Suetoniū) cum ex flatu, præ pudore retento, aliquem periclitatum intellexisset, edicto publico veniam

dedit,

dedit, crepitum ventris inter conuiuia emittendi. Neque etiam hæmorrhoides hic reticendę; siquidem eæ suppressæ, hydropem, vel tabem, inducere possunt; vt est 6. aphor. 12.

De perturbationibus animi. Cap. 23.

STOici omnem animi perturbationem damnabant; hominemque tranquillum, & ἀπαθῆν, esse volebant: at ego rigidam illam tranquillitatem, atque ἀπάθειαν, non modo impossibilem (natura enim animalibus bilē ingenuit) sed inutilem quoque esse existimo. Nam ad sanitatem conseruandam, quidam animi motus, plurimum conferunt: quantum enim gaudio mens animusq; reficiantur, nemo ignorat: quã vtile sit frigidos, ac pituitosos ad iram prouocare, quis dubitat? siquidem notum est iracundia calorem natiuum accendi, concitari, & valido impetu ab intimis ad externa moueri; vnde iratorum feruor, rubor, & ad omnem actionem expedita promptitudo. Sunt autem animi motus varij, vt gaudium, tristitia, ira, timor, amor, odium, verecundia, spes, inuidia, & similes. Dicunturque motus animæ irrationalis; qui nisi rationis frœno, intra mediocritatis fines contineantur, aliquando ita ferociunt, vt subitaneæ mortis causa sint. Hinc aliqui gaudio, spiritibus instar fulminis extra discussis, exspirarunt: nonnulli effœminati, propter ti-

morem, sanguine, spiritu repente ad ima retracto (vnde timidorum pallor, ac tremor) suffocati sunt: illi scilicet, quorum debilis, tenella, pusilla, ac mollis, animula, graui, validoque affectui, succumbuit. Quod cum ne brutis quidē eueniat (nunquam enim brutum vllum gaudio, aut timore extinctum legitur) ratione violentos hosce animi motus cōprimere debemus, ne brutis inferiores simus, atque vt mortem, aliaque mala, ex ijs nascentia, euitemus. Nam amore etiam multos paulatim cōsumptos, multos in furorem redactos, vidimus: & ira, licet neminem vnquam enecauerit, multis tamen febrem ingenerauit: mœror denique, & timor, longo tempore perseuerantes, non solum melancholiam significant, sed etiam gignunt, augentque. Quare præcipue cauendū, ne huiusmodi aliquid ægris eueniat: quod si vero de morte timeant, vt plęrumque accidit, Medicus blanda exhortatione metum excutiat; malum scilicet non esse quod timetur, aut si malum fuerit, formidabile non esse; certam salutis spem ipsis comiter persuadens.

IVSTI CNVTII
COMPENDIVM MEDICVM.
Liber Tertius.

Pathologia, ſeu de affectibus præter naturam.

De differentia rerum præter naturam. Cap. I.

DVo, quæ circa ſubiectum medicinæ conſideranda eſſe dicebamus, abſoluimus: res ſcilicet naturales, & non naturales. Reliquum eſt igitur vt ad res præter naturam deſcendamus: quæ quidem præter naturam, vel (vt quibuſdam placet) contra naturam eſſe dicuntur, eo quod ſanitatem euertentes, corpus no-

strum infestent; vt sunt, morbus, causa morbi, & symptoma. De his duplex sermo habendus: primus de earum cognitione, quem nunc aggredimur; pathologiam, quasi περὶ τῶν παθῶν λογίαν, vocant: alter de earum curatione, quem therapeutica absoluemus. Priusquam autem vlterius progrediamur, recte inter hos præter naturam affectus distinguere oportet: siquidem morbus est in partibus; causa in contentis habitat; symptoma sequitur morbum, tanquam vmbra corpus, & versatur circa actionem. Vt in phrenitide, causa est humor biliosus; morbus est intemperies in cerebro; symptoma est delirium, seu læsa actio cerebri; & sic de alijs.

Quid sit morbus. Cap. 2.

MOrbus itaque est affectus præter naturam, primo, & per se lædens actionem: causa enim non offendit actionem, nisi mediante morbo. Vt non humor biliosus delirium in cerebro facit, sed intemperiem; intemperies vero actionem cerebri lædit, vnde symptoma, seu læsa actio, vt delirium sequitur. Mirum quid hic Argenterius garriat, inquiens, morbum non primo actionem, sed facultatem, lædere: an ignorat facultatem, quoad essentiam, ab anima non differre? & propterea passionis expertem esse? alias enim anima corruptibilis foret. At inquit, si à facultate procedit actio,

tanquam à propria causa, quare non, illæsa facultate, illæsa, quoque est actio? Scire debebat argutus Argenterius, omnem actionem ab aliquo organo perfici; cuius duæ sunt partes, vna formalis, altera vero materialis. Formalis, est facultas, quæ ad actionem principaliter, & effectiue concurrit. Materialis, sunt partes nostri corporis, quæ non quidem efficiunt actionem, sed sunt causa sine qua non potest fieri vlla actio. Quare si hæ vitiatæ fuerint, læsa quoque editur actio, illæsa manente facultate. Vt si brachium luxetur, offenditur eius actio; quod tamen facultas illæsa remaneat, vel inde patet, quia loco suo repositum, perfectã denuo actionem peragit: vnde patet, ad lædendam actionem, sufficere vt vitium sit in organi materia, salua existente eius forma. Morbus itaque recte actionem lædere dicitur; eo quod partium similarium temperiem, & organicarum conformationem, sine qua actio fieri nequit, euertat.

De morbi similaris differentijs. Cap. 3.

DVo sunt morbi partibus nostri corporis proprij, vt similaris, & organicus; vnus vero communis, vt solutio continui. Morbus similaris est affectus præter naturam, partium similarium actionem lædens; diciturque intemperies; sicut enim earum actio procedit à bona temperie, sic ab intemperie, hoc est à vitiosa

temperie,offenditur. Huius octo sunt differentiæ, quia tot quoque sunt temperamenta: quatuor quidem simplices; vt calidi,frigidi,humidi,sicci: & totidem compositi; vt calidi humidi,calidi sicci,frigidi,humidi,frigidi sicci. Est etiam intemperies, vel sine materia, vel cum materia: sine materia,cum nuda qualitatum alteratio,actionem lædit;vt inflammatio,& congelatio. Si cum materia fuerit, tot erunt differentiæ, quot humores: vt à sanguine, inflammatio; à pituita, ædema; à bile, eresipelas; ab atra bile, cancer; à melancholia, schirrus. Si vero duo humores simul ad intemperiem concurrant, tunc à prædominante nomen sortietur. Alia denique intemperies vniuersalis, vt febris hectica, quæ totum afficit: alia particularis,vt epiala, qua vna pars frigore riget, altera æstu feruet.

De morbi organici differentijs. Cap. 4.

SIcut similaris morbus temperiem partium similarium, à qua immediate ipsarum actio procedit, vitiat; ita organicus legitimam organorum constructionem, quæ actionis causa est, euertit. Suntque tot eius differentiæ,quot bonæ compositionis notæ; vt congrua conformatio, magnitudo, numerus, situs, & connexio. Vnde dantur morbi conformationis, qui consistunt in vitiata figura; vt caput acuminatum, pedes

pedes vari, & valgi; vel in nimia meatuum angustia, & amplitudine; vel læuitate, vel asperitate. Morbi in magnitudine dicuntur, vt si quis partem aliquam nimis magnam, aut paruam, habuerit. In numero, vt si alicui sex digiti, aut quatuor tantum, fuerint; huius quoque generis sunt illa quæ præter naturam nobis adnascuntur, vt polypus in naso, caruncula in meatu vrinæ, suffusio in oculo, verrucæ, calli, & similia. Galenus hoc loco ea quæ toto genere præter naturam sunt, vt calculos, & vermes, subiungit. Morbi in situ sunt, quando pars aliqua naturalem situm mutauit; vt ossium luxatio; hernia intestinalis; vteri, vel ani, procidentia. Morbi in connexione dicuntur, quando partes inter se non bene cohærent; vt ligamentis longioribus, breuioribus, intentis, laxis, vel ruptis.

De morbi communis differentijs. Cap. 5.

Sicut continuitas tam similaribus, quam organicis partibus conuenit, eæque actiones suas non nisi salua vnitate peragunt; sic morbus, qui solutio continui vocatur, vtrisque etiam communis est. Prout autem varias partes affligit, varias quoque ei differentias auctores constituerunt: vnde in osse, fissura, seu rima, & fractura dicitur; in neruo, conuulsio; in venis & arterijs, ἀναστόμωσις, διαπήδησις, & διάῤῥηξις;

in car-

in carne, si ab externa causa fuerit, vulnus, si ab interna erodente materia, vlcus nominatur. Aliæ dantur differentiæ, à modo quo inferuntur, nominatęque: hinc punctura, incisio, & cõtusio.

Reliquæ morborum differentiæ. *Cap. 6.*

SVnt, & aliæ quædam morborum differentiæ ab eorum accidentibus depromptæ. Hinc datur morbus, qui proprie, & per se; alius qui per consensum, partes affligit: illum, ἰδιοπάθειαν; hunc, συμπάθειαν, seu compassionem vocant. Vt in diaphragmatis inflammatione, cerebro per consensum affecto, phrenitis aduenit: sed cauendum ne συμπάθεια in ἰδιοπάθειαν, tractu temporis degeneret, quod aliquando euenit. Alia rursum à tempore morborum differentia desumitur: vnde quidam sunt breues, quidam longi; illi à calidis, vt sanguine, vel bile; hi a frigidis, vt pituita, aut melancholia, nasci solent. Longi sunt, qui vltra quadragesimum diem perdurant, & vocantur chronici. Breues sunt, vel acuti, vt qui decimoquarto; vel peracuti, vt qui septimo; vel acutissimi, vt qui quarto ad summum die terminantur, & salutem mortemue inferunt. Dantur etiam acuti ex decidentia (vt aiunt) qui quidem acuti non erant, sed post decimumquartum diem, in acutos degenerant: & finiuntur vigesimo, vel vigesimoseptimo die; at quadragesimum non

exce-

excedunt. Sunt denique morbi periculosi, & non periculosi; periculosi dicuntur tribus modis, vel ratione partis affectæ; vnde id, quod in ignobili parte periculo vacat, in parte principe periculosum est. Vel ratione causæ; vnde dysenteria ab atra bile læthalis est, etiamsi partem ignobilem affligat. Vel symptomatum vehementia; hinc cardialgia, propter dolorem, periculosa dicitur. Inueniuntur præterea morbi maligni, & benigni: maligni, vt quorum causa ordinarijs remedijs non cedit. Suntque vel contagiosi, qui aut eminus obuios inficiunt, vt pestis; aut cominus, vt lues venerea, lepra, scabies: vel non contagiosi, vt febris maligna, ab assumpto veneno, vel magna humorum putredine. Præter hos plurimi adhuc enumerari possent morbi, nisi tyrocinij nostri breuitas id prohiberet: sunt enim aduentitij, & hęreditarij; pueriles, & seniles; viriles, & muliebres; æstiui, & hyemales; verni, & autumnales; endemij, & epidemij; & alij, quorũ cognitio ꝑ se facilis est.

De causis morborum. Cap. 7.

Causa morbi est affectus præter naturam, morbum efficiens; estque tantum duplex, externa, vel interna: neque enim hoc loco licitum est mihi, continentem illam, seu coniunctam, quam aliqui excogitarunt, repudiare; siquidem illos inter morbum, & causam morbi,

distin-

distinguere nesciuisse credo. Externa itaque est; quæ extrinsecus aduenit; quam προκαταρτικὴν, seu primitiuam vocant: vt sunt omnes res non naturales, quæ (vt libro præcedenti docuimus) si qualitate, quantitate, vtendique tempore, & modo, peccent, sanitatem euertunt. Quare exactam earum cognitionem, & quomodo morbos causent, inde petas. Interna est, quæ in animali consistit; non quidem in eius partibus, vt morbus; neque in actionibus, vt symptoma; sed in contentis, vt spiritibus, humoribusue. In spiritibus, vt si inflammati ephemerim inducant: in humoribus, vt si plethora, aut cacochymia, morbos creet. Cacochymia enim, si sanguis plus iusto abundet, sanguineos; si pituita, pituitosos; si bilis, biliosos; si melancholia, melancholicos morbos generat.

De symptomatis. Cap. 8.

PErpetuus quidam inuenitur morborum assecla, quem symptoma vocare solemus; quia morbum, vti vmbra corpus, semper comitatur; & ab eo, tanquam effectus à sua causa, dependet: symptomatum enim causa, morbus est. Habentur autem symptomata trium generum, vt in actione læsa; in excretis, & retentis; in qualitate mutata. Actio læsa dicitur, quando vel omnino aboletur, vel diminuitur, vel deprauatur: & quia actiones aliæ sunt, naturales, aliæ

aliæ vitales, aliæ animales; propterea etiam tot ſymptomata actionis læſæ dari poſſunt. Alterum ſymptomatum genus, eſt in iis, quæ præter naturam excernuntur, vel retinentur: vitiumque conſiſtit in eorum ſubſtantia, quantitate, vel qualitate. In ſubſtantia, quando talis materia excernitur, quæ retineri debebat; vt in hæmorrhagia, ſanguis; in gonorrhæa, ſemen: aut ſi id retineatur, quod toto genere præter naturam eſt, vt calculi, & vermes. Quantitate, vt ſi ordinaria quædam excretio nimis copioſa, nimiſue pauca fiat; quo pertinet immodicum, menſium, hæmorrhoidum, & ſimilium, profluuium; aut eorundem retentio, & ſuppreſſio. Qualitate, vt ſi excrementorum color, vel odor, præter naturam mutetur. At quomodo excreta, quæ inter externas morborum cauſas numerauimus, poſſunt inter ſymptomata collocari, ſi cauſa præcedit morbum, ſymptoma vero ſequitur eum velut vmbra corpus? Reſpondeo, diuerſo id reſpectu fieri: nam quatenus morbum præcedunt, cauſa ſunt; quatenus vero morbum ſequuntur, eatenus inter ſymptomata locari debent. Nam immodicum menſium effluuium, ſi conſideres, quatenus vteri intemperiem ſequitur, ſymptoma eſt: ſi vero, quatenus ex eo hydrops, aut hectica febris oritur, cauſa dici debet. Sic ſeminis retentio, quatenus ab obſtructione dependet, ſymptoma eſt; quatenus vero hyſtericas ſuffocationes generat,

morbi causa vocatur. Tertium symptomatum genus est in qualitate mutata; cuius tot sunt differentiæ, quot qualitates: quæ quidem omnes sunt, visibiles, audibiles, odorabiles, gustabiles, aut tangibiles. Symptomata itaque qualitatum visibilium, sunt colores præter naturam; vt icterus: audibilium, vt borborygmus iliorum: odorabilium, vt ructus nidorolenti, fœtor aurium, oris, axillarum, aut similium: gustabilium, sunt sapores præter naturam, vt oris amaror: tangibilium qualitatum symptomata non sunt in qualitatibus primis, vt calido, frigido, humido, & sicco; hic enim datur intemperies, quæ non est symptoma, sed morbus; sed in qualitatibus secundis, vt duritie, aspredine, mollitie, flacciditate, & similibus.

De Signis. Cap. 9.

AFfectuum præter naturam in nostro corpore præsentiam, ex signis quibusdam deprehendimus, & ex quibusdam euentum eorum præuidemus: illa diagnostica, hęc vero prognostica vocantur. Diagnostica, medicum, ea quæ, antequam de remedio cogitet, necessaria sunt, docent? vt est scire primo, quænam pars sit affecta; secundo, quo ea morbo laboret; tertio, quæ sit eius morbi causa. Prognostica, de futuris medicos vaticinari faciunt. De diagnosticis nunc agere institui; priusquam autem signa partis affectæ, declarare aggredior, monendi sunt tyrones, aliquando partes per se labora-

re, aliquando per consensum. Quod per consensum pars ægrotet, ccgnoscetur, si eius affectus alij morbo superuenerit,& vna cum eo intendatur, remittaturque: quæ enim per se laborat,morbo,à nullo alio depēdente,grauatur.

De signis partem affectam manifestantibus ab actione læsa. Cap. 10.

QVænam igitur pars morbo prematur, maxime ex eo cognoscimus, quod actionem eius lęsam, hoc est abolitam, diminutam, aut deprauatam, videamus. Sed hic ex physiologia nostra reminisci debent tyrones, triplicem esse actionem; naturalem, vitalem, & animalem. Naturalis est, vel procreatio, vel nutritio: procreatio, testibus, vasis spermaticis, vtero, & pene, perficitur; læsa itaque procreatione, partem genitalem laborare, certum est. Nutritio à iecore absoluitur, ministrantibus venis: quare si totum corpus nutrimēto defraudetur, aut prauis succis nutriatur, vitium in hepate esse iudicamus. Si vero pars aliqua non nutritur, aut ob eius imbecillitatem, quod scilicet alimentum non attrahat, retineat, coquat, assimiletue, hoc euenit; aut ob venarum, per quas alimentum transire debebat, obstructionem. Huic quoque nutritioni, ventriculus inseruit; cibum appetendo,& coquendo: quare prostrata fames, cibi fastidium,& cruditas, stomachum male affectū indicant. Vitalis actio duplex est, pulsus, & re-

ſpiratio:pulſus in corde,& arterijs micat; vnde vitiatus pulſus,cordis morbum deſignat. Reſpiratio vero pulmoni, aſperæ arteriæ, diaphragmati,ac thoracis muſculis,debetur:quare reſpiratione læſa, aliquam harum partium ægrotare conſtat; in cuius cognitionem, remotione earũ quę non laborant,definite perueniemus. Animalis actio in cerebro reſidet, & per neruos diſſeminatur; eſtque duplex,ſenſus inquam, & motus voluntarius: ſenſus ſunt vel externi,vel interni. Externi,externa habent organa;quare viſione lęſa, affectus eſt aut neruus opticus, aut oculus; auditione vitiata, morbus eſt in neruo auditorio,vel aure;& ſic de cęteris. Si vero ſenſus internus aliquis lęſus fuerit, cerebrum ęgrotare dicendum: nam internorum ſenſuum inſtrumentum,cerebrum eſt.Sic quoque ſi totum animal motu priuetur, vitium in cerebro ſignificat:ſi vero tantum pars aliqua,morbus eſt aut in eius neruis,aut in eius muſculis.

De ſignis, partem affectam indicantibus ex dolore. Cap. II.

EX dolorę etiam optime in partis affectę cognitionem deuenitur: nam vbi dolor, ibi morbus; hinc ipſimet ęgri,proprijs digitis,ſępe nobis locum affectum oſtendunt:ſed ſi internus fuerit,ex anatome ſcire oportet, quę ibi partes reconditę ſint.Deinde ex natura doloris nõ leue argumẽtum ſumitur:nam ſi dolor acutus,& vehe-

hemēs fuerit,membranā,aut partem neruosam, affligi arguit; si vero grauans,& obtusus, partē aliquā insensilem affectā testabitur,vt cerebrū, cor,hepar,pulmonem,lienem,renes; quę nō,nisi propter ambientes membranas,sensu pollent.

De signis, partem affectam significantibus, ab excretis. Cap. 12.

AB excretis,quæ pars sit affecta, certo quoque docemur;ea autem inferne,vel superne excernuntur;inferne,vt sunt ea,quæ vel per aluum,vel per vrinas,exeunt. Per aluum si ramenta excernantur,intestina exulcerari constat & si crassa fuerint ramēta,colon; si tenuia,ileon laborat. Per vrinas si carunculæ aut arenulæ exeant,in renibus vitium notatur:his adde quæ per vterum mulieribus secedunt. Superne quæ excernuntur,aut per vomitum, aut per sputum eijciuntur:quæ per vomitū,à stomacho exeunt, & eius affectus declarant:per sputū,si cum screatu,à faucibus;si cum thussi sine dolore,à pulmone;si cū thussi,& acuto dolore,à thorace prouenit, eiusque morbos manifestat. Sunt denique excrementa capitis; vt oculorūm lachrimę,nasi muccus, aurium sordes, capillorum furfures, quæ cerebri affectus prodere etiam possunt.

De signis, causam morbificam manifestantibus, ab externa causa. Cap. 13.

MOrbi species ex ijs,quæ de morborū differentijs docuimus,abunde cognosci potest; quare

quare huic materiei nūc superſedere decreui; ad ſigna, quibus in cauſæ morbificæ cognitionem deuenitur, me transferēs. Cauſa itaque (vt ante monui) eſt vel externa, vel interna: externa, licet ad curationē nihil faciat, ſola enim interna cōtrario pellitur, tamen, ad cognoſcendā internā cauſam, ſummum medico lumē adfert. Quare de ſingulis rebus nō naturalibus, in his enim cauſa externa conſiſtit, ſollicite medicus ęgrum percontetur; an ſcilicet iuſta qualitate, quātitate, vtendi tempore, & modo, eas adhibuerit; & quod ſi circa illas eū deliquiſſe inuenerit, facillime de interna cauſa determinare poterit. Vt ſi eū frequenter, calido aere, alimento, medicamētoue, vſum intellexerit; cauſam morbi internam calidam eſſe iudicabit: & ſic de cæteris.

De ſignis, cauſam morbificam explicantibus, ex habitu ægri. Cap. 14.

HAbitus ęgri fideliſſimus quoq; cauſæ morbificæ eſt index: hic enim erit, vel plethoricus, vel cacochymus. Plethora cognoſcitur ex moleſta venarum tenſione, corporis torpore, & ſpontanea laſſitudine: hanc præceſſerit, otium, lauta, opipara, & genialis, viuendi ratio: ſi vero exhauſtus fuerit, inedia, vigiliæ, aut multijuga ſolicitudo præceſſerit. In cacochymia, vt, quis humor plus iuſto luxuriet, ſciamus, ægri temperamentum inſpicere oportet, & ad notas, quas primo libro docui, id examinare. Si enim color eius rubeus fuerit, ſanguineus dicetur; ſi pallidus,

dus, pituitosus; si flauus, biliosus; si liuidus, melancholicus. Ad eandem notam excreta examines; non solum inquam fęces, sed etiam vrinam, & sputum: rubea enim, à sanguine; alba, à pituita; flaua, à bile; nigra, ab atra bile; liuida, à melancholia esse dixeris; & sic humorem peccantem, morbiq; causam, facile inueneris. Deinde iuuantia atq; offendentia non sunt omittenda: si enim æger iuuetur à frigidis, & lædatur à calidis, causa morbi erit calida: si vero iuuetur à calidis, & lædatur à frigidis, causa erit frigida.

De signis, causam morbificam reuelantibus, à natura morbi. Cap. 15.

SÆpe etiam ipse morbus suã causam prodit; vt inflammatio, exuperantem sanguinem; febris quotidiana, pituitam; tertiana, bilem; quartana, melancholiam. Doloris quoque species morbi causam detegit: si enim acer, pungens, & mordax fuerit, causam habebit calidam, nempe bilem, si vero grauans, obtusus, & obscurus, fuerit, sanguinis copia in causa esse poterit; quod si autẽ æger membra contundi, ac ossa sibi frangi conqueratur, pituita in culpa est. Semper autem considerandũ, an solennis quędã euacuatio, suppressa fuerit; vt menses, hęmorrhoides, aut similes: tum enim, vt alias docui, huc morbi causa referri debet. Dantur præter hęc, nonnulla signa, quibusdam affectibus propria, pathognomica dicuntur: quę in particulari methodo, ad singulum quemque affectum, enarranda relinquo.

Anacephalæosis affectuum

Affectus præter naturam sūt tres, vt

- morbus, atque is est partibus nr̄i corporis vel
  - proprius, & is est duplex ——
  - cōmunis estque solutio cōtinui, quæ dicitur in
    - osse
      - rima.
      - fractura. ——
    - neruis conuulsio.
    - venis, & arterijs. ——
    - carne à causa ——
- causa morbi, eaque est vel cap. 7.
  - æterna in rebus non naturalibus.
  - interna in
    - humoribus.
    - spiritibus.
- symptoma estq; triplex, vt in
  - actione læsa hoc est
    - abolita. ——
    - diminuta.
    - deprauata.
  - excretis, vt si peccent.
    - substantia.
    - quantitate.
    - qualitate.
  - qualitate mutata, vt in ——

præter naturam.

- similaris estq; intemperies
  - simplex, vel composita.
  - sine materia, vel cũ materia
  - vniuersalis, vel particularis.
  - cap. 3.
- organicus, q. est in vitiosa
  - conformatione.
  - magnitudine.
  - numero.
  - situ.
  - connexione.
  - cap. 4.

- ἀναστόμωσις.
- διαπήδησις.
- διάβρωσις.
- interna vlcus.
- externa vulnus.
- cap. 5.

- visibili icterus.
- audibili borborigmus iliorum.
- odorabili fœtor axillarum.
- gustabili oris amaror.
- tangibili aspredo, &c.
- cap. 8.

IVSTI

IVSTI CNVTII COMPENDIVM MEDICINAE

Liber Quartus.

DE PROGNOSTICIS.

Vnde petantur prognoſtica. Cap. I.

ABſolutis ſignis diagnoſticis, quibus præteritorum præſentiũque cognitio reuelatur, ad prognoſtica nunc tranſire opportunũ eſt; quæ de futuris, vtrum ſcilicet moriturus an conualiturus ſit æger, nos certiores faciunt. Deſumuntur hæc ſigna maxime ex comparatione virium ægri cum morbo: ſi enim morbus vehementior, viribusque ægri fortior fuerit,

rit, mortem præsagit; si vero vires præualeant morbo salutaris erit euentus. Cognoscimus autem virium consistentiam, ex validis trium facultatum, naturalis, vitalis, & animalis, actionibus. De naturali, ex appetentia, & coctione, iudicium fit: at vtrum rite coctio perficiatur, ex fęcibus, vrinis, sudoribus, & sputis, cognoscitur. De vitalis facultatis robore, ex pulsu, & respiratione iudicatur. Animalem facultatem, per motus, & sensus, tam interni, qnam externi vigorem exploramus: quæ singula proprijs capitibus latius explicabo. Morbum ponderamus, vel ex parte affecta; & sic grauior est, qui partem principem, aut aliam ad vitam necessariam, quam qui ignobilem aliquam infestat: vel ex sua natura; & sic aliqui sunt incurabiles, vt marasmus, elephantiasis, apoplexia fortis: vel ex eius causa; hinc maligni, & benigni; hinc, qui calidam, & magnam causam habēt, breues, & periculosi sunt; qui vero frigidam, habent, longitudinem portendunt; vel ex symptomatum vehementia, vt alibi docuimus.

De Crisi. Cap. 2.

Breues tantum morbi, quia à calida causa producuntur, per crisin terminantur: longi vero, quia à frigida causa oriuntur, non per crisin, sed morbo vel ægro paulatim deuicto, soluuntur. Crisis itaque proprie est vehemens

naturę

naturæ cum morbo luctatio; vnde, per repentinam humoris morbifici excretionem, subita ad salutem succedit mutatio; daturque alia, perfecta, alia imperfecta. Perfectæ crisis indicia sunt Primo, vt tota omnino materia morbifica expellatur; ita vt æger se leuatum, & à morbo omnibusque symptomatis plane liberum, sentiat. Secundo, vt cocta sit materia, & præambulonibus coctionis signis indicata: cruda enim existente morbi materia, nulla vnquam salutaris crisis euenire potest. Tertio, vt die critico exeat. Imperfecta est, quæ non integre à morbo ægrũ vindicat, sed tamen magnam in melius mutationem efficit: vt fit, quando magna quidem materiæ morbificæ portio excernitur, sed tamẽ nonnullæ eius reliquiæ relinquuntur. Tunc, nisi medicus naturæ opituletur, & purganti medicamento id quod relictum est euacuet, recidiuæ sequi solent. Cognoscimus autem num aliquid materiæ morbificæ, ex quo recidiua nasci possit, residuum sit; tum quia quædam morbi vmbra superstes remanserit; tum quia æger ex cibo non reficietur, sed offendetur, corpora enim impura quo magis nutris, eo magis lædis.

De

De ſymptomatica excretione. Cap. 3.

EXcretio illa, qua æger in deterius conijcitur, non critica, ſed ſympomatica vocatur; diſtinguiturque à criſi, hiſce potiſſimum notis: vt Primo ſi parum excernatur; nullum enim paucum eſt criticum. Secundo ſi in principio morbi, præſente cruditate, fiat excretio. Tertio ſi die non critico eueniat; hoc enim ob malignitatem humoris, naturam ſtimulantis, accidit. Quarto ſi ante indicata non fuerit; nulla enim bona criſis fit, quæ non prius coctionis ſignis indicatur. Quinto ſi talis materia, qualis excerni debet, non excernatur: hinc ſanguinis fluorem quartanæ ſuperuenire, malum eſt: hinc febribus acutis liquidum, & aquoſum alui fluxum accidere, lethale eſt. Hæc enim excretio morbum non iudicat, & nullum ægro leuamē, ſed maximū grauamen adfert: quartanæ enim, quia ab humore melancholico, frigido, & ſicco, cauſatur; ſanguis calidus, & humidus ſalutaris erat: & febribus acutis, quia à calida, & ſicca bile pendent, humor aquoſus, frigidus, & humidus, vtilis admodum erat. His itaque excretis, morbus abſque freno relinquitur, vnde plenis in ægrum inſurgit viribus: ita vt merito dici ſoleat τὰ κρίσιμα μὴ κρίνοντα, ἢ δύσκριτα, ἢ θανατώδεα; iudicatoria non iudicantia, aut ſiniſtra, aut mortifera ſunt.

De quatuor morbi temporibus. Cap.4.

QVando futura sit crisis, & vtrum ægri vires ad illud tempus crisis sufficient, scire nequimus; nisi morbi vigorem, hic enim solus crisin admittit, prænoscamus: quare non solũ vigorem, sed etiam singula morbi tempora, & quomodo ea cognoscantur, breuibus docere constitui. Quatuor itaque dantur morborum tempora, principium, augmentum, vigor, & declinatio. Principium est prima morbi inuasio, seu tempus illud, quo cruditatis plena sunt omnia, nullo coctionis apparente signo. Cum autem manifesta coctionis signa elucent, tunc nõ amplius principium, sed augmentum vocatur: tunc enim morbus augeri videtur, eo quod eius paroxismi, citius quam solent, inuadant, diutius perdurent, ac vehementius affligant. Vigor morbi est quando perfectæ coctionis notæ conspiciuntur: diciturque status, quia tunc morbus sibi constat, & sibi ipsi simillimus permanet, nec amplius augetur, quia tunc summa est symptomatum vehementia: quare tunc à medicamentis, & omnibus alijs, quæ vel minimũ naturæ negotium facessere possunt, abstinere debemus. Declinatio est postremum morbi tempus, quo morbus declinat: hoc est, quo tardiores, breuiores, & mitiores, quam consueuerant, fiunt accessiones. Hæc omnia breuiter

Hip-

Hippocrates 2.aph.30.perstringit,inquiens,circa initia,& fines omnia symptomata esse imbecilliora; in statu vero fortiora. Hoc quidem morborum tempus vniuersale est; datur autem quoddam particulare, quod singulorum paroxismorum proprium est. Est autẽ paroxismus deterius vniuersalis periodi tempus,à quo quotidianæ,tertianæ,& quartanæ,nomen habent; eo quod paroxismi in quotidianis, quotidie; in tertianis,singulo tertio; in quartanis,quarto quoque die circumeant. Distinguitur singulorum paroxismorum tempus eodem fere modo, quo vniuersalis morbi periodus, in principiũ, augmentum, vigorem, & declinationem: cognosciturque ijsdem fere notis,quibus vniuersale tempus. Vt in febre, paroxismi principiũ est, quando lenia æger symptomata persentit; augmentum, quando ea ingrauescunt; vigor, quando augeri febris desijt,& in quadam symptomatum vehementia perseuerat; declinatio, quando ea symptomata mitescunt.

De signis futuræ crisis. Cap. 5.

SOlus morbi vigor,quia hic tantum perfectæ coctionis capax est, crisin agnoscit: quare, ex motu morbi ad vigorem, signa futuræ crisis merito depromuntur. Si enim symptomata exacerbantur,crisin appropinquare signum est; & quanto magis citiusque ingrauescunt, tanto

citius expectanda crisis. Quando autem morbus in summa symptomatum vehementia consistit (quod vigorem adesse denotat) ac permanet, ita vt nulla mutatio depræhendatur, tunc crisis in procinctu est. Tunc, si signa coctionis apparuerint, ad salutem futura est crisis: nemo enim vnquam mortuus est, qui, præambulonibus coctionis signis, crisin habuit: si vero cruditatis plena fuerint omnia, sine dubio, in hac symptomatum vehementia, æger succumbet, ac diem suum obibit. Coctionis autem, & cruditatis signa ex vrinis, fęcibus, & sputis, cognoscuntur; vt postea declarabimus. Oportet quoque ægri vires ponderare: siquidem eæ, si valide fuerint, calamitosas morbi notas interdum eludere, & crisin maturare possunt: vbi vero ad cruditates, accedit virium imbecillitas, nihil præter mortem sperare debemus: at virium notitia ex pulsu habetur, vt mox docebo. Pręcipuum imminentis crisis indicium est, si nox crisin præcedens, ægro valde molesta, ac difficilis fuerit, inquietudine, & inordinata per lectum iactatione, difficili anhelitu, summo angore, dolore, delirio, & vigilijs: quæ, si morbo crudo conspiciantur, indubitatam citamque mortem portendunt: si vero iam cocto appareant, certam salutem, breuique futurā crisim, pollicentur.

De signis modum futuræ crisis reuelantibus. Cap. 6.

QVomodo futura sit crisis, ex natura morbi optime conijcitur: nam sanguinei morbi per hæmorrhagiam terminari solent; pituitosi, per sudores, abscessus, aut crassam albamque vrinam; biliosi, per biliosum vomitum, secessum, aut sudorem; melancholici, per fęculentum alui fluxum, vel subnigram vrinam. Quam autem viam natura affectet, & quomodo humorem morbificum exclusura sit, proprijs signis præuidemus. Fluxurum enim per nares sanguinem indicant, capitis grauedo, faciei rubor, oculi scintillantes, & lacrymantes, venæ temporum turgentes, & pulsantes; nares quasi obturatæ, vnde spirandi difficultas: at si nasus pruriat, iam, iam erumpet sanguis. Deinde si die indice ægro stillicidium sanguinis e naribus fiat, coctione elucente, tunc die iudice proximo futuram per nares hæmorrhagiam certo credendum. Instantem vero vomitum declarant cardialgia, hoc est stomachi dolor, nausea, plurimæ, ac tenuis saliuæ ex ore defluxus, inferioris labri tremula agitatio, capitis dolor, vertigines, & caligines. Sudores vero futuros certo scimus, si, imminente crisi, aluo ac vrina præter rationem suppressis, rigor ægrum inuaserit: at si totius corporis habitus subhumido

æstu caleat, tunc in procinctu sudores esse, & protinus erupturos, eredere debemus. Alui futurus fluor ex proprijs quidem signis non cognoscitur, attamen si crisis indicia apparuerint, nullaque, vomitus, fluxuri sanguinis, aut sudoris, signa conspiciantur; tunc omnino venter perturbabitur, & per alui deiectionem crisis subsequetur: maxime vero si, detenta vrina, liberius quam ante consueuerat, aluus fluat. At si per menses futura est crisis, eam dolor, & tensio lumborum, pudendorũque quasi pondere obrutorum grauitas, prænunciant. Hæmorrhoides vero quoque lumborum dolor, sed pondus sedem grauans, indicat. Fiunt quoque crises quędam in morbis pituitosis, per abscessum, materia morbifica à parte nobili ad ignobilem translata: quare si in his morbis circa aliquam partem dolor tensio aut inflammatio persentiatur, ibi futurum abscessum iudica; nisi copiosa vrina crassa, & alba superueniens morbum soluat.

De diebus criticis. Cap. 7.

OMni quidem die mala crisis fieri potest; bona vero non, nisi die critico, conspicitur: propterea quinam illi dies sint, nunc docere aggredior: & quia nihil per crisin iudicatur, quod non ante indicatum fuit; fit vt dies alij sint indices, alij iudices. Indices, quid die iudice futurum sit, indicant; suntque quartus, &

vndecimus. Iudices, qui etiam decretorij vocantur, morbum iudicant, ac terminant: suntque septimus,& decimusquartus. Quartus, est index septimi: vndecimus, decimiquarti: quod pulcherrime Hippocrates 2. aphor. 24. expressit, inquiens. Quartus dies est index septimi: octauus, alterius septimanę principium existit: est autem, & vndecimus contemplabilis, ipse enim est quartus secundæ septimanæ, & index decimiquarti. Hunc terminum acuti morbi, hoc est, qui statim ab initio velociter,& summa symptomatum vi mouentur; non excedunt: omnes enim intra quatuordecim dies iudicantur. Quia autem nonnulli morbi motu lentiori feruntur, ita vt ad vigesimum vsque diem extendantur, quos acutos ex decidentia vocamus, propterea tertiam quoque septimanam cum Hippocrate addimus; dicentes, decimumseptimū quoque contemplabilem esse, eo quod sit quartus tertiæ septimanæ, & index vigesimi: Hippocrates eum quartum à quartodecimo,& septimum ab vndecimo vocat: & sic deinceps, quaternarij septenariorum sunt indices. Cęterum obseruandum, nos dies indices non omnino à crisi excludere; siquidem & illi ad iudicandos morbos potestatem quandam habent. Si enim primo die signa coctionis apparuerint, vt in morbis acutissimis euenit, tunc quarto die crisis erit: sed decretorij multo sunt ad crisin validiores. Galenus sexto etiam die posse fieri

salutarem crisin existimat: sed hoc intelligendum de morbis, qui paribus diebus accedunt: alias enim (ipso etiam Galeno teste) perpetuo funesta est crisis illa, quæ sexto die in conspectum prodit: eo quod, non à natura triumphante, sed ab humorum indomita qualitate naturā stimulante, procedat; vt etiam euenit, si alio quam dixi die crisis fiat.

De signis mortiferis. Cap. 8.

VTi signa coctionis, & ægri robur, certam salutem pollicentur; sic humoris morbifici cruditas, cum virium imbecillitate, indubitatam mortem portendunt: sed de signis salutaribus iam satis actum est, quare illa, quæ mortem præsagiunt, paulo accuratius enarrare operæ pretium duxi. Signa itaque lethalia potissimum in facie ægri elucent: illa enim, si sanorū faciei, & præsertim sui ipsius dissimilis fuerit, mala; & quo longius hinc recesserit, eo peior. Pessima vero, si ei fuerint nares acutæ, oculi concaui, tempora collapsa, aures frigidæ, contractæ, & inuersæ: hæc enim tota cadauerosa est, & ægrum morti proximum testatur. Adde frontis ariditatem, quam sudor frigidus, ac viscidus, primigenij roris effluentis index, præcesserit: & totius faciei colorem pallidum, liuidum, vel subnigrum. At obseruandum, aliquando faciem hanc lethalem non esse; vt si æger

copioso

copioſo alui fluxu, vigilijs, vel inedia, exhauſtus fuerit: quare de hijs diligenter inquirendum. Ex decubitu certiſſima quoque mortis indicia deſumuntur; is enim, ſi multum à ſanorum decubitu variat, vt ſi æger ſupinus, brachijs, collo, & cruribus negligenter extenſis, nudis, & hinc inde inæqualiter diſperſis, decumbat, id malum eſt. Pernicioſum quoque, vbi æger pedes nudat, licet non admodum caleant. Pernicioſiſſimum vero, ſi ſeipſum in lecto ſuſtinere nequiens, ſubinde ad pedes delabatur; & ſi extrema, pedes nimirum, & manus, duro frigore rigeant: ſiquidem hoc facultatis proſtratæ, caloris extincti, mortiſque iam inuadentis, certiſſimum eſt præludium.

De tempore mortis. Cap. 9.

VEluti nunquam criſis fit in declinatione, quicunque enim morbi vigoris tempus ſemel tranſierint, hi ſine criſi paulatim ſoluũtur; ſic nullum etiam mortis periculum eſt vigoris tempore elapſo; ſiquidem nullus vnquam mortuus eſt in declinatione morbi, niſi noua ſuperueniente affectione, aut vitæ errore. Omnes igitur moriuntur in augmento, vel in principio morbi, vel etiam in vigore: tunc autem indicē obſerua; qui enim bonam criſin prædicit, is quoque malæ criſis, mortiſque portentum præbere ſolet. Sed mortis magis determinatum

prodigium ex particulari paroxiſmorum tempore depromitur: quo enim die paroxiſmus inuadet, eodem æger morietur: & ſi obſeruaueris qua hora paroxiſmus vehementius ægrum affligat, facile etiam ſcire poteris, qua hora moriturus ſit: eadem enim hora, qua moleſtiora, & grauiora ſymptomata ſuperuenire ſolent, morietur. Adde quod, qui ſanguineo morbo moribundi decumbunt, ad meridiem expirare cõſueuerint; qui birioſo, ad veſperum; qui melancholico, ad mediam noctem; qui pituitoſo, ad auroram: rationem ex phyſiologia noſtra pete.

De vrinarum ſubſtantia. Cap. 10.

OMne (vt ſæpius monui) de euentu morbi præſagium ex eius coctione, cruditateue, ac ægri viribus, elicitur: quapropter vnde hæc coctio cruditaſue cognoſcatur, vnde hoc viriũ robur deprehendatur, nunc docere tempeſtiuũ eſt. Cum itaque naturalis facultatis robur ex coctione eluceat, coctio vero in excretis conſpiciatur, inter quæ vrina primas tenet, merito de vrinarũ examine primo loco agam. Tenuis itaque vrina (vt ab earum ſubſtantia exordiar) & inſtar aquæ limpidæ pellucida, & alba; niſi manifeſtæ in venis, renibuſue obſtructiones fuerint, vnde eam colari, ac deſtillari conijcere poſſimus, ſummas cruditates, & morbi principium denotat. Hæc in acutis febribus deliriũ

por-

portendit; vnde phrenitici tales vrinas mingere solent: cum enim in ijs bilis ad caput fluat, vrinam suo colore defraudat. Hęc inquam in acutis morbis lethalis est: quod si paulo post mictionem crassescat, & conturbetur, non quidem ita exitialis, attamen periculi plena est: in non acutis, illa maximam, hæc paulo minorem cruditatem, vel obstructionem significat. Crassę vrinę, crassorum humorum in imo ventre abundantiam, indicant: suntque vel claræ, vel obscurę, vel turbidæ. Clarę, vt quas visus acies facile penetrat, perpetuo coctionem demonstrant. Obscurę, vt quas visu vix penetramus, cruditatem denotant. Turbidę vero, si aut sponte, aut igni appositę clarescunt, principium coctionis arguunt: sed si nec sponte, nec igne clarescunt, morbi maligni indices sunt. Vrina subiugalis, qualem iumenta mingere solent, magnam humorum perturbationem declarat; propter quā cerebrum vaporibus oppletur, vnde capitis dolorem prędsentem, vel imminentem, loquitur.

De vrinarum colore. *Cap. II.*

ALiud ex vrinarum colore prędsagium desumitur: atque ita, quo magis albę fuerint, eo maiorem cruditatem; quo magis nigrę, eo maiorem adustionem denunciant. Aliquando autem à frigore nigra euadit: positiuo quidem, vt nubes condensatæ nigrescunt; vel priuati-

uo, vti partes, calore extincto, liuescunt: hæ quoque vel erunt tenues, vel crassę. Alba itaque, & tenuis, summam cruditatem obstructionemue, at in acutis morbis (vt dixi) mortem pręnunciat. Si vero, alijs signis salutem pollicentibus, mingatur; abscessum criticum in partibus infra diaphragma pręsagit. Alba, & crassa, pituitę crudorumque humorum abundantiam, atque inde morbi longitudinem portendit: nisi critice excernantur; tunc enim ab imminente abscessu ęgrum liberat. Nigra, si tenuis fuerit, lethalis est; quia calorem naturalem summo incendio extinctum, suffocatumque, arguit. Ob eandem causam viridis ac liuida, lethales sunt. Subnigra tamen, & liuida, si crassa fuerit, interdum melancholicos morbos terminat. Flaua, citrina, aurea, & ruffa, flauam bilem, & coctionem testantur. Rubra vrina, si tenuis pellucida flammea, ac splendens fuerit, bilem adustam, & inde febrem ardentem, iecorisque immodicum feruorem significat. Rubra vero, & crassa, qualis in synocho reddi solet, sanguinem torridum, ac adustum, denotat; nisi à permisto sanguine crassa fuerit, at tunc linteum immersum tinget, aliàs non. Vrina fœtida, nisi ab assumptis fœtorem contraxerit, magnę putredinis, indicium prębet.

De

De vrinarum contentis. Cap. 12.

EX contentis vrinæ certum etiam coctionis vel cruditatis, salutis vel mortis, prodigium habetur: ea autem distinguenda sunt, in sublimia, media, atque infima. In sublimi vrina, datur, nebula; in medio, suspensum, quod ἐναιώρημα vocatur; in fundo, sedimentum, quod ὑπόστασις dicitur. Nullum horum in ægrotantium vrinis apparere, periculosum est: at si apparuerint, sciendum, infima sublimioribus semper meliora esse. Nubecula, in sublimi pendula, impotentem calorem denotat; at si tenuibus vrinis superuenerit, coctionis principium aperit. Si vero materia quædam tenuis in media vrina suspensa conspiciatur, melior quidem est, attamen imbecillum quoque calorem arguit: potens enim calor, tenuiori parte consumpta, & in vapores resoluta, coquit, incrassat, & in imum deturbat. At si in tenui vrina primo nubecula, dein tenuis quædam materia suspensa, postremo vero sedimentum ad ima detrusum appareat, salutaris erit mutatio; naturæque triumphantis, & coquentis argumentum. Porro notandum, quod in morbis biliosis nubecula, aut suspensum abunde coctionem indicet: hi enim absque sedimento iudicantur. Sedimentum non idem est sanorum, quod ægrorum: in sanis enim, fit à crudiore alimenti portione: in ægris

vero.

vero,est portio materiæ morbificæ. Optimum dicitur id,quod album,læue,& æquale est; cuius partes inter se vnitæ,non disiunctæ sunt: sic enim perfectam coctionem declarat; quantoque longius hinc recesserit, tanto deterius erit. Carunculæ in vrina,renes exulceratos loquuntur: item pus cruentum; at album, vesicæ vitium detegit. Furfures, si in vrina tenui conspiciantur, summum feruorem, internas venarum tunicas desquammantem, denotant: si in crassa fuerint, vesicæ scabiem indicant. Sedimentum sabulosum, calculum portendit: album quidem, in vesica; rubrum, in renibus. Pinguedo oleo non absimilis, vrinæ innatans, nisi à pinguedine renum, calida eorum intemperie liquata, procedat; lethalis est: quippe totius corporis colliquationem testatur.

De fæcibus. Cap. 13.

SIcut vrina secundæ coctionis est index, sic fæces primæ: sumiturque iudicium ex earum substantia,colore,& odore. Quod ad primum attinet,optimæ sunt molles, ac mellis instar compactæ: illæ autem,quæ inter se non cohærent, sed partes distractas habent, eo quod cruditatem, & imbecillum calorem denotent, malis annumerantur. Liquidę,& aquosæ,sinistri sunt iudicij, & cruditatis indices: at in febribus acutis, lethales sunt; siquidem frenum

bilis,

bilis, & morbi medela erant. Duræ, adurentem calorem, aut humorem alio fluere, loquuntur. Spumosæ, pituitam ex capite ad aluum fluere docent; nisi manifestæ adsint incendij bullientis, aut flatuum, notæ. Pingues, nisi ab assumptis pinguedinem habuerint, lethales sunt; quia colliquationem totius corporis significant. Si colorem spectes, nigræ, atram bilem; virides, æruginosam denunciant; suntque lethales. Albæ, ac pallidæ, à chyli colore non longe recedentes, nisi icterus adsit, insignem cruditatem ostendunt. Flauę, & ruffę; mediocrem coctionem demonstrant. Cruentæ, & purulentæ, vlcus intestinorum manifestant. Fœtidę, insignis putredinis sunt testes: at si quid horum critice exeat, bonis semper id fiet auibus. Mortale est, si quid citra voluntatem, & sensum ęgrotantium exeat; quia prostratam retentricem, & propinquantē mortem portendit.

De sudore. Cap. 14.

TRes statuuntur in nostro corpore regiones, quibus triplex coctio absoluitur. Prima, est ventriculus, intestina, & extrema venarum in intestinis terminantium oscula. Secunda, sunt venæ. Tertia, sunt reliquę partes, & vniuersus corporis habitus. Hæ ita distinguuntur quia. Primo, alimentum in ventriculũ, & intestina, ingreditur. Secundo, in venas transit.

Tertio

Tertio; partibus apponitur. Vnaquęque regio sua coctionis habet excrementa. Prima, quidem fęces. Secunda vrinam. Tertia sudores. Vnde fęces; affectus primæ regionis manifestant: vrina, secundæ: sudores, tertiæ: de fęcibus, & vrinis dictum est; nunc igitur de sudoribus agendum. Sudores itaque sunt vel critici, vt qui ægrum à morbo liberant, vel symptomatici, vt qui eum non leuant: illi in bonis, hi in malis habentur: illi debent esse vniuersales, copiosi (nihil enim paucum est criticum) & die critico; hi solent esse particulares, & pauci: nam, si copiosi fuerint, aut vires exoluunt, aut morbi longitudinem prædicant. Sunt denique sudores calidi, & frigidi: frigidi, in acutis mortem; in mitioribus, morbi longitudinem portendunt: calidi, minus quidem sunt morbosi, morbosi tamen: quia humorum multitudinem indicant, nisi manifestam causam habeant.

De sputo. Cap. 15.

SIcut dicta excrementa suarum regionum affectus produnt, ita sputum morbos thoracis, ac pulmonis, fideliter aperit. Tenue, cruditatem denotat; omnia enim excrementa coctione crassescunt. Perniciosum est, viride, liuidum, ac nigrum: his adde id, quod male olet. Subflauum, & ruffum, coctionis indicium est: maxime si æquale, continuum, & non distractum,

ctum,fuerit. Coctionis quoque pręclarum est omen,si leui negotio expuatur; si vero difficulter, & cum violenta tussi, malum. At in morbis thoracis,ac pulmonis,nihil aut parum spuere, pessimum habetur; quia id summæ cruditatis nota est.

De pulsibus. Cap. 16.

Vitalis facultatis robur nihil, æque ac pulsus, indicat; nihil ęque salutem mortemue pręnunciat, ac pulsus; quare eius doctrinam nunc exordior: & ne subtilioribus distinctionum tricis, tyronum ingenia inuoluam, necessaria tantum proponere decreui. Pulsus itaque est aut vehemens, aut languidus: vehemens est, qui tangentis medici digitos valide pulsat, ac maiori etiam digitorum compressioni intrepide resistit: hic semper robustas ægri vires significat. Languidus est, qui imbecilliter, ac remisse, medici manum ferit: hic debilem, & imbecillum ægrum declarat: at si ita langueat, vt ad leuem arterię compressionem non amplius percipiatur pulsus, tunc de viribus ægri conclamatum est. Magnus pulsus est, quando arteria in omnem dimensionem ample dilatatur: paruus vero, est strictus, & humilis; ita vt arteria vix dilatari videatur: ille vigoris, hic languoris est index. Velox est, qui frequenter pulsat, attamen fortiter: hic magnum cordis incendium,

aur-

aut fuliginum copiam,& facultatem robustam, testatur. Tardus vero, & piger, qui lente admodum pulsat, facultatem languidam, & multam frigiditatem, denotat. Datur denique pulsus æqualis, vel inæqualis: æqualis, virium robur; inæqualis, imbecillitatem perpetuo indicat. Vocatur autem æqualis ille, qui singulis pulsationibus æquę est velox, & magnus: ita vt inter vnam, & alteram pulsationem nulla omnino sit differentia. Inæqualis dicitur, quando vna pulsatio ab altera differt; ita vt vna velocior, maiorue, sit altera: vt est ille qui, instar mallei ex incude resilientis, bis pulsat; huc pertinet vndosus, vermicularis, & formicans. Vndosus est, quando arteria, instar vndarum vento agitatarum, sub medici digito fluctuare videtur: hic magnam humiditatem loquitur, at facultatem robustam. Nisi enim vehementer pulset, sed languide, tunc non vndosus, sed vermicularis vocatur; eo quod vermem, sub digito repentem, exprimat. Formicans, qui veluti formicas per arteriam discurrentes tactui repræsentat, est debilis, frequens, & omnium maxime lethalis. Hinc ex vndoso vermicularem fieri, malum; at vermicularem in formicantem mutari, lethale est: vermicularis enim, virtutem paulatim labascere significat; at formicans, eam iam collapsam, ægrumque morti proximum esse, testatur. Intermittens quoque pulsus summam imbecillitatem arguit; quia simi-

lis est

lis eſt illis, qui deambulantes, propter extremam laſſitudinem, & virium defectum, ad ſingulos fere paſſus quieſcere coguntur. Pauci admodum cum pulſu intermittente mortem effugiunt: at ſi diutius, quam vno pulſationis tempore, intermiſerit, ſemper lethalis eſt. Mollis, copioſam humiditatem; durus, ſiccitatem, aut membranæ alicuius inflammationem ſignificat. Febrilis pulſus, qui febrem indicat, eſt, in quo ſyſtole non reſpondet diaſtole; ſed altera eſt velocior maiorue altera: differt ab inæquali; quod hic in vna pulſatione, inæqualis vero, in pluribus conſideretur. Ille igitur, in quo concitatior, velocior, moriorue, ſentitur diaſtole, quam ſyſtole; febrium continentium eſt: at ille, in quo contrario modo concitatior eſt ſyſtole, quam diaſtole; is putridarum eſt. Rationem do, quia in continentibus, propter inſignem cordis feruorem, multo opus eſt aere; qui per diaſtolen attrahitur: at in putridis, magna opus eſt fuliginum excluſione; quam ſyſtole perfici in phyſiologia docui.

De reſpiratione. *Cap.* 17.

RESpirationi, ad cognoſcendum facultatis vitalis robur, & ad prędicendam ſalutem vel mortem, plurimum quoque debetur: quare tribus eam verbis perſtringere conſtitui. Huius eędem fere ſunt differentię, quę pulſus: quapro-

pter eorum, quę de pulsibus tradidi, lectorem memorem esse velim. Datur itaque respiratio magna; vel parua: magna est, quando multo aere attracto valde se expandit thorax: parua, quando parum dilatatur: illa robustam, hęc imbecillam facultatem significat: illa (teste Hippocrate) si tarda fuerit, in febribus acutis delirium declarat. Velox quoque ęgrum fortem indicat, maxime si magna fuerit; at vehemens incendium notat: Hippocrates eam doloris, aut inflammationis in thorace, indicem esse ait. Tarda, frigiditatem, aut instrumenti alicuius vitium, testatur. Æqualis, perpetuo bona est; inęqualis, mala: quod si vero adeo inęqualis fuerit, vt instar pulsus bis pulsantis, bis quoque inspirare videatur; quod in pueris conspicitur, qui plorando inspirationem duplicāt, ingeminantque; id valde funestum est. Frigidum spiritum ex ore, & naribus efflare, in febribus acutis, extincti caloris, & propinquæ mortis, indicium est. Æstuosus vero spiritus, quo lingua, & labia exarescunt, & (propter torridas fuligines à corde proficiscentes) nigrescunt, minus quidem funestus, attamen valde periculosus existit. Hianti quoque ore spiritum captare, valde mortiferum est. In omni denique morbo facile spirare, bonum; difficile vero, malum: quod si autem ita difficilis fuerit respiratio, vt æger, nisi erecta ceruice spiret, suffocari se putet; & propterea, decumbere ne-

quiens, ſedere in lecto cogatur, id periculi plenum eſt.

De animalis facultatis præſagijs.
Cap. 18.

ANimalis facultatis robur ex ſenſus, & motus vigore depræhenditur. Quod ad ſenſum attinet, ſi externos ſpectes, quicunque parte aliqua dolent, & dolorem non ſentiunt, ijs mens ægrotat: quapropter etiam bene videre, audire, olfacere, & guſtare, bonum eſt; contrarium vero, malum. At ſi internos conſideres, in omni morbo mente conſtare, bonum; contrarium autem, malum. Quod ad motum pertinet, ſi æger facile ſe moueat, ſalutare; ſi vero ita membris collapſis decumbat, vt nec ſe mouere, nec ſuſtinere in lecto queat, ſed ſubinde ad pedes prolabatur, lethale eſt. Laſſitudines denique ſpontaneæ (nam, & hoc ad motum ſpectat) morbos prænunciant.

Anacephalæosis prognosticorum.

- Prognostica sumuntur, vel ex ægri
  - viribus, quarũ consistentia cognoscitur ex validis actionibus trium facultatum, vt
    - naturalis, & huius ex
      - appetentia.
      - concoctione,
      - & hæc ex
        - vrinæ
          - substantia. cap. 24.
          - colore. cap. 25.
          - contentis. cap. 26.
        - fæcibus. cap. 27.
        - sudore. cap. 28.
        - sputo. cap. 29.
    - vitalis, & huius ex
      - pulsu. cap. 30.
      - respiratione. cap. 31.
    - animalis, & huius ex
      - sensu
        - interno.
        - externo.
      - motu

      cap. 32.
  - morbo, quem ponderamus, vel ex
    - parte affecta, vt si affligat, vel
      - principem.
      - ignobilem.
    - sua causa hinc
      - benigni.
      - maligni.
    - symptomatum vehementia, sua natura, vt si per se fuerit.
      - incurabilis, vt
        - marasmus.
        - apoplexia fortis.
        - elephantiasis.
      - sanabilis.
    - suo motu hinc
      - longi.
      - breues, & hi
        - acuti.
        - peracuti.
        - acutissimi.

IVSTI CNVTII COMPENDIVM MEDICVM.

Liber Quintus.

De vniuersali medendi ratione.

Medicina practica quid. Cap. I.

PRæclare admodũ Hippocrates, praxin medicinę reſpiciens, dixit, medicinam eſſe πρόσθεσιν, καὶ ἀφαίρεσιν, adiectionem, & detractionẽ. Siquidem omnes morbi, vel ex inanitione, vel ex repletione, oriuntur: illi, adiectione; hi, detractione curantur. Atque in his duobus omnis medendi ratio conſiſtit: vtunturque tribus inſtrumentis, diæta, chyrurgia, & pharmacia. Adie-

Quantum cibandus sit æger. Cap. 3.

QVantum cibandus sit æger, ex vniuersali morborum tempore scitur: nam in acutis, tenui victu vtendum est, vt natura coctioni materiæ morbificæ vacare possit; à qua abstraheretur, si magnam ipsi cibi quantitatem coquendam offerres: & sic tempore vigoris, materia morbifica cruda existente, non crisis, sed mors succederet. In longis vero morbis pleniore victu opus est: at non in omnibus acutis longisue eadem est ratio. Nam in acutissimis, extreme tenuissimo victu vtendum, maximeque in vigore: & sic quanto morbus est vehementior, acutior, & breuior, tanto tenuiori victu opus est; quanto vero longior, tanto pleniorem victum postulat. Quare vires ægri metiri debemus, easque cum morbi longitudine conferre, & statim ab initio talem victum præscribere, quo æger ad finem vsque morbi perdurare possit; non ignorantes, maiorem periculosioremque semper esse errorem, qui in tenuiori, quam qui in paulo pleniori victu committitur.

Quando cibandus sit æger. Cap. 4.

QVando cibandus sit æger, non ex vniuersali morbi tempore, sed ex particulari paroxismorum circuitu, cognoscitur. Siquidem

in paroxiſmis omnino à cibo abſtinendum eſt: at non ſolum cum iam adſunt, verum etiam cũ paulo poſt acceſſuri ſunt. Quinimo quatuor, ad minimum, horæ, quæ paroxiſmum præcedunt, cibo vacare debent: niſi ouum ſorbile præbeas, hoc enim vnica hora digeritur. Tutũ vero eſt ægrum cibare in paroxiſmi declinatione; maximeque cũ omnino paroxiſmus deſijt: ſed ſi forte adeo parum intermittat, vt paulo poſt declinationem, aut in ipſa declinatione, nouus continuo paroxiſmus inuadat; tunc non expectabis donec omnino deſinat, ſed in declinatione, quatuor ad minimum horis ante nouũ paroxiſmum, alimentum exhibebis. At ægri, qui vires imbecillas habent, quouis tempore, & in ipſo quoque paroxiſmo, cibandi ſunt. Plura circa hanc materiam qui deſiderat, videat ea, quę de diæta ſanorum, libro noſtro de conſeruanda valetudine, conſcripſimus.

De chyrurgia, ac ſanguinis mittendi ſcopis. *Cap. 5.*

VTi morbos ab inanitione, diæta; ſic affectus à repletione, chyrurgia ſanat: non ſolum inquam plethoram, ſed etiam cacochymiam; ea enim nihil aliud eſt, quam impura plenitudo. Perficitur præcipue venę ſectione, cucurbitulis, & hirudinibus. In venæ ſectione præſcribenda cautus admodum debet eſſe

me-

medicus,& in tres potissimum scopos collimare: vt sunt, Primo magnitudo morbi, præsens, vel imminens. Secundo ætas florida; hoc est, quæ decimumquartum annum excedit. Tertio virium robur, cuius, vehemens cum æqualitate pulsus, fidissimus,& minime fallax apud Galenum testis dicitur. His tribus præsentibus, semper sanguinem mittere licet; altero vero deficiente, nunquam.

De ijs, quæ sanguinis missioni obstant.
Cap. 6.

QVemadmodum morbi præsentia, sanguinis missionem præcipit; sic eius absentia, eandem prohibet: ad quid enim sanguinem extraxeris, nisi morbus aliquis adsit, immineatue? Ætas quoque puerilis, quæ decimumquartum annum non excedit, venæ sectionem non admittit. Inueniuntur tamen, qui nono, decimo,& insequentibus annis, in pueris habitioribus, morbo acuto tentatis, venam secare audēt: quod non omnino improbo, at summa cautela id fieri velim: forte consultius hirudines venæ applicueris. Senilis ætas à venę sectione arceri non debet, nisi imbecilla fuerit: nam etiam septuagenarijs, modo vires robustas habeant, venam incidere, Galenus lib. de sang. miss. cap. 13. iubet. Prægnantibus sanguinem detrahere piaculum esto; nisi forte intra septimum, & quar-

tum gestationis mensem: ego tamen nuper grauidæ, febre acuta laboranti, octauo mense sanguinem mittere non formidaui; consultius ducens matri prospicere, quam permittere, vt simul cum fœtu intereat. In alui profluuio venã incidere, plane pestiferum est: periculum enim, ne putridi humores ad aluum fluentes in venas retrahantur; vnde febres putridæ, malignæ, & infinita id genus mala, prouenire possent. Hanc etiam ob causam, si ventriculus crudis humoribus, aut intestina fęcibus scateant, nunquam venam secabis, nisi clystere, aut medicamento lenitiuo, primum corporis regionem ablueris. Morbi quorum paroxismi cum syncope accedunt, venæ sectionem omnino reformidant.

Quibus morbis venæ sectio conueniat. Cap. 7.

IN omnibus febribus, non continentibus modo, sed etiam putridis, teste Galeno 11. meth. 15. saluberrimum est præsidium, venam incidere: sic quoque leuandis inflammãtionibus, ac magnis doloribus, nullum se pręstantius remedium inuenisse 1. aph. com. 23. confitetur. In sanguinis vomitione, atque ex naribus, vtero, hęmorrhoidibusue, nimia eruptione, venæ sectio, reuulsionis nomine, plurimum confert. Omitto quod, ad euocandos menses, admodum quoque salutaris sit: quę omnia, ad singulos

affe-

affectus, in particulari praxi, latius explicanda forent.

Quantum sanguinis educi debeat. *Cap. 8.*

QVantum, in quouis morbo, sanguinis detrahendum sit, ex morbi magnitudine, & viribus ægri, cognosci debet. Siquidem in magnis inflammationibus, ac doloribus, si vires constent, vsque ad animi deliquium, sanguinē educere conuenit. Auicenna vigintiquinque libras sanguinis nostro corpore contineri asserit; & septendecim, vno die, citra perniciem, effundi posse: sed ego ibi septem, pro septendecim, legendum existimo, sic enim ex alijs eius locis colligo; & præsertim quia Galenum, vltra sex libras detraxisse, non legitur. Tunc autem manus medici pulsui perpetuo adhæreat, faciemque ægri diligenter intueatur, & impetum effluentis sanguinis sedulo obseruet; vt cū præludia syncopes apparuerint, tempestiue ab incepto desistere sciat. At quia extremę illę euacuationes periculosę sunt, propterea consultius alternatim (per epicrasin vocant) interpolata vicissitudine, cum minori periculo, ac virium dispendio, illa euacuatio instituetur. Sed in acutissimis inflammationibus, ac doloribus non postridie, sed eadem hora, sanguinis missionem iterari velim: & si sępius eam repetere cogaris, ita id facito, vt vna euacuatio, ab altera

tantum

tantum semihoræ spatio distet. Sic enim, dum sanguis adhuc in motu est, vna euacuatio alteram excipiet, attingetque: vnde maxima, à parte affecta, humoris peccantis euacuatio, & reuulsio succedit: nam, etiamsi ad partem affectam fluere conaretur, statim, iterata sanguiuis missione, antequam eo perueniat, retrahitur; & incredibile est, quantum hac repetitione ægro profueris. At si non tanta fuerit morbi vehementia, aut si vires imbecillę fuerint, tunc quotidie sanguinem detrahere præstat. Quare seu morbus vehemens, seu non adeo vehemens fuerit, perpetuo ad vires collimandum: nam secũdum has, aliqui multam, aliqui vix paucam, tolerant sanguinis missionem. Cęterum aeris quoque temperies, & ægri habitus, quantitatẽ limitare possunt: quod ad primum attinet, quãuis aliqui, aere æstuoso, omnino venam incidere nolint; ego tamen, vrgente necessitate, moderate sanguinem educere, non timeo. At aeris intemperiem, eo modo, quem libro de conseruanda valetudine docui, corrigo; non ignorãs, sub cane, & ante canem, difficiles quidem, sed non impossibiles esse medicationes: idem de summo frigore dixero. Sic quoque qui habitũ corporis laxum, mollem, album, & pinguem, venasque angustas habent: ijs non nisi maxima necessitate coactus, & tum quidem parum sanguinis detrahes: qui vero contrario modo se habent, ijs multum educere tuto licet.

Quando

Quando sit mittendus sanguis. Cap. 9.

VEr, ad venæ sectionem, conuenientissimum est: ęstas vero, admodum incommoda. Si diem quæras, licet veteres post quartum, ab initio morbi, sanguinem mittere noluerint; tamen quocunque die sanguinis mittendi scopos in ægro inueneris, eodem, ex consilio Galeni, venam incidito; etiamsi is vigesimus à principio fuerit. Die critico, & in vigore morbi, à cibo, & multo magis à sanguinis missione, abstinendum. Hora matutina, post Solis exortum, optima est; ægris non protinus à somno excitis, sed circiter horam iam ante vigilantibus. At si res celeritatem postulet, nullasque patiatur inducias, tunc intempesta etiam nocte, & quauis hora, sanguinem mittere debemus: nisi cibus recens assumptus, aut cruditas in stomacho fuerit. In febribus denique hora, qua paroxismus declinat, ad venæ sectionem cæteris multo commodior existit.

Quænam vena incidi debeat. Cap. 10.

VEnarum aliæ sunt vniuersales, aliæ particulares: vniuersales dicuntur, quæ toti corpori æqualiter, & sanguinis fonti primario, prospiciunt; vt sunt venæ cubiti, interna, externa, & media. Interna, vocari solet basilica,

ſeu iecoraria : externa dicitur humeraria,& cephalica : media,eo quod vtriſque iam dictis inſeratur,communis quoque nuncupatur. Interna , partibus quæ infra collum ſunt laborantibus,incidi debet : externa, collo,ac ijs quæ ſupra collum ſunt affectis,ſecanda:media ſeu com munis , vtriſque vtilis eſt. Supra collum ſunt fauces,lingua, naſus, oculi, aures,facies,caput, cerebrum , & cætera. Infra collum ſunt , thorax,pulmo,cor, diaphragma,ſtomachus,hepar, & lien : vterus enim, veſica, pudenda, anus , & inguina,non per cubiti,ſed per poplitis venam ſectam curantur; vel etiam per ſaphenam , quæ malleoli vena eſt. Renes vtroque modo curari Galenus aſſerit,eo quod inter has,& illas par tes medij ſint: tamen incipiente eorum inflammatione,internam cubiti, quæ ex iecore, vnde fluxionis exordium eſt,oritur,incidito;alias vero,poplitem aut ſaphenam ſecato. Particulares venæ,quas non niſi præmiſſis vniuerſalibus incidere tuto licet,ſunt,quæ non toti, ſed aliquibus tantum partibus proſpiciunt: vt vena frontis,occipiti;quę eſt in angulis oculorum,ophtal miæ;quæ ſub lingua reconditur, faucibus.

De reuulſione. Cap. 11.

REuulſio eſt humoris fluentis in contrarium tractio : perficiturque non ſolum venæ ſectione, de qua actum eſt, ſed etiam cucurbitulis

ſcari-

ſcarificatis,& non ſcarificatis,hirudinibus,balneis, frictionibus,& ſtricturis. Cucurbitulæ, quas venæ ſectionis vicarias vocant, non niſi ijs, qui ante euacuati ſunt(teſte Galeno cap. de cucurb.) conueniunt: perperam igitur atque inepte faciunt illi, qui in omni affectu, ſtatim ab initio, cucurbitulas applicari iubent. Licet autem cucurbitulæ cutaneum tantum ſanguinem euacuent, tamen ratione caloris, doloris, & vacui (flamma enim aerem cucurbitula contentum abſumit,vnde vacuum)quę omnia trahendi vim habent, imum quoque ſanguinem impetuoſe ad ſe rapiunt, & ſic fluxioni vehementer reſiſtunt. Sic etiam balnea, frictiones, & ſtricturæ, licet nihil omnino manifeſte euacuent, tamen ratione caloris vel doloris, ſanguinem, ad partem cui adhibentur, violenter trahunt. Si humor fluat ad caput, pectus, aut præcordia; tunc brachijs remedia reuellentia vtiliter applicueris, aut ſimul cruribus: ſed ad prouocandos menſes, cruribus adhibita magis iuuant: renibus quoque, veſica, vtero, pudendis,aut podice inflammatis,præmiſſa vniuerſali euacuatione, ad crura plurimum proſunt.

A quo latere reuulſio fieri debeat. *Cap.* 12.

EXperientia,ac diuini Hippocratis, & Galeni auctoritate frequenter docemur, ſemper ab eodem latere, quod morbo premitur, venam

ſecan-

secandam esse; siue id reuulsionis,deriuationis, aut euacuationis gratia fiat:vnde etiam in reuellentibus remedijs adhibendis,semper rectitudo lateris obseruari debet. Sic enim multũ,& cito iuueris: si vero dextro laborãte,ad sinistrũ latus remedia hæc admoueas, nihil nisi damnum intuleris. Atque hoc adeo rigide ipse medicinæ parens Hippocrates obseruauit; vt contrarium agere nefas esse dixero: is siquidem, in hepatis inflammatione, iecorariam dextri cubiti incidit;qua non apparente,mediam tundit;at si nec ea conspicua fuerit, ad cephalicam confugere mauult,quam ad internam sinistri cubiti se conuertere. At inquis reuulsionem in contrarium fieri: respondeo,contrarietatem illam in eodem latere seruari debere. Nam hoc etiam modo natura operatur: vnde in liene turgente, ex dextra nare erumpens sanguis; & in iecoris inflammatione, ex sinistra, nullam ægris vtilitatem adfert, sed interdum nocet: at ea quæ secundum lateris rectitudinem sanguinis eruptio accidit (experientia, & Galeno teste) plurimum semper iuuat.

De sanguinis educti examine. Cap. 13.

SAnguinem à vena eductum diligenter medicus inspiciat, vt quid in posterum agendum sit,facilius cognoscat. Ille igitur qui cito concrescit;crassus,densus,& multis fibris præ-

ditus

ditus eſt: is niſi corrigatur, obſtructionum, aliorumque morborum inde naſcentium, fit auctor. Qui tarde concreſcit, is tenuis eſt: at qui iam frigeſcens non congelat, is aut plane aquoſus, vt in hydropicis, aut omnino putridus exiſtit. Idem fiſſio aperte declarat; nam craſſus, difficile finditur; tenuis, facile: at putridus, non finditur, ſed ſimulac attingitur, totus in exiguas particulas diſcerpitur; ſiquidem, cum fibræ eius corruptæ ſint, conglaciare, & cohærere nequit. Serum multum, aquæ ſimillimum, concreto ſanguini innatans, frigiditatem, imbecillitatemque iecoris, & imminentem hydropem, portendit: niſi à liberaliori potu, vel à renum imbecillitate, obſtructioneue, prouenerit; has enim ob cauſas aliquando ſerum in venis redundans, ſanguini permiſcetur. Sanguinis concreti color rubicundus, bonitatis eſt index: at ſi lucidus is ac ſplendens fuerit, ardorem denotat; flauus, bilem; albus, pituitam; ſubniger, melancholiam teſtatur. Calor etiam effluentis ſanguinis obſeruandus; aliquando enim ita feruet, vt ſi vitreo vaſe excipiatur, illud eſtringat: is iecoris feruorem loquitur; temperati enim ſanguinis calor mitis, & placidus eſt.

De pharmacia. Cap. 14.

PHarmacia non plethoram, ſed cacochymiã ſanat: at non ſolum eam, in qua humores quantitate, & qualitate ſimul peccant, quæ impura plenitudo dicitur, & quam venæ ſectione etiam curari diximus: ſed eam quaque, in qua ſola humorum qualitas vitioſa eſt. Vitioſa enim humorum qualitas, vnde morbus præſens vel imminens, purgationem indicat. Continet hęc pars pharmaca alterantia, lenientia, & purgantia: quæ vt methodice adminiſtrentur, neceſſum eſt ſcopos quoſdam prę oculis habere, quos indicationes vocant; quia, quid medico agendum ſit, fideliter indicant.

De ſcopis pharmaceuticis, ex viribus ægri, & morbo, deſumptis. Cap. 15.

SCopi pharmaceutici ex tribus potiſſimum fontibus depromuntur, nempe ex viribus ægri, morbo, & cauſa morbi. Vires perpetuo conſeruari, aut ſi collapſæ fuerint, reſtaurari debent; quæ pars maxime dięta, & pharmacis corroborantibus, abſoluitur. Quod ad morbum ſpectat, is, ſi à plenitudine fuerit, inanitionem; ſi ab inanitione, repletionem requirit; quomodo autem hoc fiat, ante docui. Si vero morbus erit calidus, refrigerantia; ſi frigidus,

dus, calefacientia; si humidus, desiccantia; si siccus, humectantia; & (vt summatim dicam) vnusquisque sibi cōtraria pharmaca expostulat.

De scopis à causa morbi haustis. Cap. 16.

Causa morborum, paucis exceptis (vt in pathologia docui) in humoribus est: vnde omnis morbus est, vel sanguineus, vel pituitosus, vel biliosus, vel melancholicus. Quare ab humoribus indicationes petantur: vt si pituita peccauerit, phlegmagogis; si bilis, cholagogis; si melancholia, melanagogis pharmacis euacuetur: sanguis enim non pharmacis, sed venæ sectione, tuto educitur. Hi quoque humores dupliciter considerantur, vel vt putridi, vel vt nō putridi: non putridi, huc non pertinent. Putridi, vel sunt omnino putridi, vel semiputridi: illi, euacuandi, & radicitus extirpandi; hi, alterandi, & (ex præcepto Galeni) coctione corrigendi sunt. Quia autem humorum putredo à prohibita transpiratione prouenit, transpiratio vero ab obstructionibus impeditur; propterea, si à meatuum angustia obstructiones prouenerint, aperientibus pharmacis auferendæ erunt; si vero ab humorum visciditate, lentore, & crassitie, ortæ fuerint, tunc abstergentibus, incidentibus, & attenuantibus, humores corrigantur, & motui præparentur; vt tandem vniuersi citra molestiam, expurgari queant.

De scopis ab humorum motu sumptis. *Cap. 17.*

A Motu humoris morbifici indicationes sumuntur, in inflammationibus, tumoribus, omnibusque fluxionibus. Consideratur hic humor, vel vt fluxit, vel vt fluit, vel vt fluxurus est: quatenus fluxit, eatenus ex parte affecta euacuandus; idque sensibiliter, igne, aut ferro; vel insensibiliter, digerentibus, & resoluētibus. Quatenus fluit, eatenus à parte affecta arcendus est, repellentibus, vt sunt omnia frigida; reuellentibus, de quibus alibi, deriuantibus, vt fonticulis; & intercipientibus, vt sunt medicamenta, quæ vulgo defensiua vocantur. Quatenus fluxurus est, eatenus astringentibus, & condensantibus impediendus, ne fluat. At in omni motu duo præcipue considerantur, terminus à quo, & terminus ad quem: terminus à quo, est pars humorem morbificum transmittens: terminus ad quem, est pars recipiens. Pars transmittens humorem morbificũ generat, propter intemperiem: vnde, ne amplius talis humor generetur, ea temperanda venit. Pars recipiens, ne ad recipiendos humores ita prompta sit, corroborari debet.

Quantum euacuandum sit. Cap. 18.

TOtum omnino humorem peccantem euacuari debere nemo dubitat: an autē simul, & semel ea euacuatio fieri debeat, non ita constat: sed quia omnes extremæ euacuationes (vt alias docui) periculosæ sunt, propterea alternata vicissitudine melius ea instituetur. Quantū autem vnaquaque vice purgandum sit, ex morbi magnitudine, & viribus ægri, cognoscitur. Extremis quidem morbis, extrema debentur remedia; mitioribus, mitiora. Vires robustæ, generosa pharmaca bene tolerant; imbecillæ, vix lenia perferunt. Deinde, si primam corporis regionem euacuare volueris, lenia propinabis; si secundam, mediocria; si tertiam generosa. Habitus quoque ægri inspiciendus; ijs enim, quibus laxus, & mollis adest, moderata dabis: macilenti vero, facilius purgantia ferunt. Illis denique quibus aluus natura, & sponte soluta est, lenia; quibus vero stricta, ijs generosiora dabis. Magna inflammatio, & valida febris, generosa pharmaca reformidat: hic quoque æstatem posuero, nam sub cane, & ante canem, difficiles sunt medicationes.

Quando purgandum ſit. Cap. 19.

COcta purgare conuenit, non cruda: vnde in principio morbi à purgatione abſtinendum; tunc enim cruda ſunt omnia: priuſquã igitur medicamentum purgans propines, corpus meabile faciendum eſt; meatus aperiendo, & materiam præparando, vt, ſi craſſa, & lenta fuerit, incidendo, coquendo, & fluidam reddendo: vt ſic pharmaco trahente, natura expellente, nulloque impediente, feliciter ſuccedat purgatio. Quod ſi vero materia turgeat, tum quouis tempore, imo ſtatim in principio, purgationi incumbendum. Turgere materia dicitur, quando impetuoſe hinc inde fluit, & periculum imminet, ne in partem principem decumbens, extemporaneam mortem inferat: ego omnem quoque materiam, quæ coctionem non admittit, turgere dixero; qualis in febribus malignis, & peſtilentialibus datur. Caue ne die critico, aut morbi vigore purges: ſic neque in paroxiſmi acceſſione, vel ſtatu, id faciendum; expectandum enim, donec remittat, ſi non intermittit. Prægnãtes, aut plane nullo, aut valde leni, pharmaco purgabis: ſi enim ijs vehementer aluus fluat, abortiunt.

Per quam viam ſit purgandum. Cap. 20.

QVo natura vergit, eo ducere oportet, ſi loca fuerint conuenientia: non enim recte per oculos caput purgaueris, etſi eo natura vergat, ſed per nares, & palatum. Quare ſi natura à parte ignobili ad nobiliorem tendat, alio eam ducere oportet. Sic quoque, ſi via per quam natura vergit morbo prematur, alia ineunda eſt; afflictis enim afflictio ingeminari non debet: hinc in dyſenteria humores morbificos per aluum ducere non conuenit.

De pharmacis reuellentibus. Cap. 21.

VTi chyrurgia ſua habet reuellentia, ſic quoque pharmacia ijs nō deſtituitur: quæ ſi ſimul iungantur, vehementiſſimos quoſuis influxus impedire valent. Suntque primo veſicantia, ſeu cauſtica potentialia, quæ oculis laborantibus, poſt aures, aut occipiti intra primā, & ſecundam vertebram applicita, mirifice proſunt: affectis faucibus, pectore, corde, pulmone, & ventriculo, ſummam vtilitatem adferunt ſi brachijs adhibeantur: cæteris vero partibus vexatis, brachijs, & cruribus appoſita, vtiliſſima ſunt. Alui fluxum, per vomitoria; vomi-

tum, per acres clysteres reuellimus: vtrumque vero vomitum, & alui fluorem, diureticis, & hydroticis, ad vrinam, & sudores retrahimus: vrina quoque per aluum, & sudores commode reuellitur: quæ sudores mouent, diuretica etiã sunt, & contra; nihil autem æque sudores prouocat, ac balneum aquæ calentis.

De Pharmacorum dosi. Cap. 22.

PHarmacia (vt alias docui) habet remedia præparantia, lenientia, & purgantia. Præparantia, sunt syrupi, quos apozemata vocant: qui congrue non exhibentur, nisi prima corporis regione lenitiuo abluta. Conficiuntur ex aquis destillatis, & syrupis simplicibus, vel compositis: ita, vt syruporum dosis sit ad sescunciam, aquarum vero, in dupla proportione, nempe ad vncias tres. Lenientia sunt ea, quæ primam corporis regionem abluunt: eorumque, si solida fuerint, dosis est ad drachmas decem; si liquida, ad vncias quinque. Purgantia, non nisi præmisso lenitiuo, ac humoribus rite præparatis, danda; suntque, vel placida, vel generosa: illa à secunda; hæc à tertia regione trahunt: illorum, si simplicia fuerint, dosis est ad drachmas duas; si vero composita ad drachmas quatuor: horum dosis est scrupulus vnus tantum. Ceterum in omni purgante pharmaco lenitiuũ aliquod misceto, vt vim purgantis moderetur,

Quia denique omnia fere purgantia ſtomacho inimica ſunt, propterea eorum vitium corrigi debet, addita tertia parte, vel zinziberis, vel cinnamomi, vel maſticis, vel galangæ.

De ponderibus medicinalibus. Cap. 23.

AD ſcribendas, & intelligendas remediorũ formulas, quas receptas vocant, neceſſum eſt ponderum medicinalium valorem, & notas cognoſcere: quapropter tribus ea verbis perſtringere hoc loco decreui, à minimis exordiũ ſumens. Granum itaque eſt minimum pondus, quo vtimur; quorum viginti, ſcrupulum; ſexaginta, drachmam conſtituunt. Scrupulus pendet grana viginti. Drachma pendet grana ſexaginta, ſeu ſcrupulos tres; & eſt octaua pars vnciæ. Vncia eſt duodecima pars libræ, & conſtat drachmis octo. Libra pendet vncias duodecim, & hæc eſt officinis vſitata. Manipulus dicitur faſciculus herbarum, qui manu comprehendi poteſt. Pugillus fit digitis ſimul in extremitate compreſſis. Semis, vel ſemiſſis, idem eſt, quod dimidiũ. Ana idem valet, quod ſingulorum tantundem, vel partes æquales. Reliquum eſt nunc, vt ſingulorum notas ſubijciam.

Grani	haec est nota	G.
Scrupuli		℈
Drachmæ		ʒ
Vnciæ		℥
Libræ		Lib.
Manipuli		M.
Pugilli		P.
Semis		S.
Ana		ã.

De præparantibus. *Cap.* 24.

PReparantia pharmaca sunt illa, quę corpus meabile, humoremque morbificum fluidum, faciunt: atque eorum alia bili, alia pituitę, alia melancholię, conueniunt; quę singula proprijs capitibus recitare nunc aggredior.

De syrupis, & aquis bilem præparantibus. Cap. 25.

SYRVPVS.	AQVA.
de cichorea	hordei
endiuia	endiuię
acetosa	cichoreę
portulaca	acetosę
papauere	sonchi
nimphea.	plantaginis
Potentiores.	lactucę
granatorum	hepaticę
limonum	cucurbitę
ex acido citri	nimpheę
rob de ribes	

Exempli gratia.

℞ syr. de cichorea
endiuia
acetosa ã ℥ meza
aquę plantag.
endiuię
acetosę ã ℥ j
Misce, & fiat syrupus.

De syrupis, & aquis pituitam coquentibus.
Cap. 26.

SYRVPVS	AQVA.
de acetosa	acetosæ
betonica	absinthij
stoccade	saluiæ
mel rosatum	betonicæ
oximel simplex	menthæ
oximel compositum.	feniculi
Potentiores.	apij
de hysopo	asparagi.
absinthio	
mentha	
marubio	
prassio.	

Exempli gratia.

℞ syr. de acetosa
betonica
oximell. s. ā ℥ meza
aquæ saluiæ
menthæ
feniculi ā ℥ j
Misce pro syrupo.

De

De ſyrupis, & aquis melancholiam alterantibus. Cap. 27.

SYRVPVS.

de lupulis
fumo terræ
boragine
bugloſſa
polypodio
oximel ſimplex.

Potentiores.

de pomis
abſinthio
ſcolopendria
thimo
epithimo
bizantinus.

AQVA.

lupulorum
fumariæ
boraginis
bugloſſæ
meliſſæ
florum ſambuci.

Exempli gratia:

℞ ſyr. de lupulis
boragine
funaria ã ℥ meza
aquæ boraginis
lupulorum
meliſſæ ã ℥ j
Miſce pro ſyrupo.

De syrupis particularibus, seu directiuis. *Cap.* 28.

IN morbis particularibus, in quibus scilicet pars vna tantum præcipue laborat, remedijs particularibus, hoc est, quæ à proprietate illi parti competunt, vti debemus. Quapropter syrupos quosdam particulares, qui alicui parti proprij sunt, enarrare nunc decreui; qui inquam, si vniuersalibus, ac nulli parti proprijs medicamentis misceantur, facultates eorum ad quandam partem determinate dirigere valent; vnde directiui nuncupari solent. At horum alij bili, alij pituitæ, alij melancholiæ, dicati sunt.

De

De syrupis, & aquis particularibus bilem coquentibus. *Cap. 29.*

IN CAPITE.

syr. de nimphea	aquæ melissæ
papauere	nimpheæ
nenuphare	lactucæ
	nenupharis.

IN PECTORE.

syr. de liquiritia	aqua hordei
iuiubis	violarum
violis	capillorum veneris.
iulep uiolatum.	

IN CORDE.

syr. de acetosa	aqua acetosæ
acido citri	boraginis
rosis	rosarum
iulep rosatum.	

IN HEPATE.

syr. de endiuia	aqua endiuiæ
cichorea	cichoreæ
cucurbita	hepaticę
	sonchi.

IN STOMACHO.

syr. de citoneis	aqua citoneorum
mirto	acetosę.

De syrupis, & aquis particularibus pituitam præparantibus. Cap. 30.

IN CAPITE.

ſyr. de betonica	aqua betonicæ
ſtœchade	ſaluiæ
	maioranæ.

IN PECTORE.

ſyr. de liquiritia	aqua ſcabioſæ
capillis veneris	capillorum veneris
hyſopo	hyſopi
praſſio	enulæ campanæ.

IN STOMACHO.

ſyr. de mentha	aqua mentha
abſinthio	abſinthij
mel roſatum	feniculi
oximel ſimplex	
oximel compoſitum.	

IN HEPATE.

ſyr. de abſinthio	aqua eupatorij
eupatorio	cuſcutæ
	abſinthij.

IN RENIBVS.

ſyr. de duabus radicibus	aqua aſparagi
	feniculi
de quinq; radicibus	apij
	ſaxifragiæ
	cicerum

IN VTERO.

ſyr. de matricaria	aqua nepethæ
arthemiſia	matricariæ
ſabina	arthemiſiæ
	agni caſti.

De ſyrupis particularibus melancholiæ dicatis. Cap. 31.

SYrupi melancholiam coquentes fere omnes lienis proprij ſunt; quare ſi ad aliam partem eos dirigere velimus, id potius aquis, iam ante ſingulis partibus aſſignatis, fieri poterit.

De medicamentis euacuantibus. Cap. 32.

PHarmaca quæ aluum cient, ſunt vel lenientia, vel purgantia: & horum alia bili, alia pituitæ, alia melancholiæ, dicata ſunt: quæ ſingula ordine nunc proponere aggredior; vniuſcuiuſque doſin à latere adiungens. Sed admonitos velim tyrones, in purgantibus doſin, quam poſui, eſſe extremam: eamque minui quidem poſſe, augere autem eam tuto non licere.

De medicamentis bilem educentibus. Cap. 33.

LENIENTIA.

caſſia
thamarindi
diaprunis ſimplex
diacatholicon. } dantur ad drachmas decem.

ſyrupus roſatus ſolutiuus
ſyrupus violatus ſolutiuus } dantur ad vncias quinque.

manna diſſoluta in aliquo decocto datur ad vncias duas.

EXEMPLVM

In bolo.

℞ Florum caſſię ʒ x
pul. ſem. citri ℈ j
Miſce, & cum ſaccaro fiant boli.

In potu.

℞ ſyr. roſati ſolutiui ℥ ~~meza~~ iiij.
decoct. cord. q. ſ.
Miſce, & fiat potus.

PVRGANTIA.

Placidæ.

Confectio Hamech diaprunis composita electuarium de psillio electuarium de succo rosarum electuarium de sebesten	dãtur ad drachmas quatuor.

rheubarbarum datur in substãtia ad drachmas duas: & in infusione ad drachmas quatuor.

Generosæ.

diagridium schammonium elaterium	dãtur ad grana duodecim, interdum ad scrupulum vnum.

EXEMPLVM.

In bolo.

℞	confect. hamech	ʒ iiij
	diacatholiconis	ʒ vj

Misce, & cum saccaro fiant boli.

In potu.

℞	syr. rosati solutiui	℥ iij
	confect. hamech	ʒ iiij
	decoct. cord. q. s.	

Misce, & fiat potus.

De medicamentis pituitam vacuantibus.
Cap. 34.

LENIENTIA.

diacatholicon datur ad drachmas decem.
mel roſatum ſolutiuum } dantur ad vncias
mel violatum ſolutiuum } quinque.

EXEMPLVM.

In bolo.

℞ diacatholiconis ʒ X
cum ſaccaro fiant boli.

In potu.

℞ mellis roſati ſolutiui ℥ V
decoct. cord. q. ſ.
Miſce pro potu.

PVRGANTIA.

Placidæ.

hiera picra Galeni diaphœnicon benedicta laxantiua electuarium elescoph	dantur ad drachmas quatuor.

agaricus datur in substantia ad drachmas duas; in infusione, ad drachmas quatuor.

Generosæ.

turbit ad drachmam vnam

cataputia colocynthis euphorbium	dantur ad grana duodecim; fortioribus ad scrupulum vnum.

EXEMPLVM.

In bolo.

℞ hieræ picræ Galeni ʒ iiij
diacatholiconis ʒ vj
Misce, & cum saccaro fiant boli.

In potu.

℞ mellis rosati solutiui ℥ iij
diaphęniconis ʒ iij
decoct. cord. q. s.
Misce, & fiat potus.

De medicamentis melancholiam educentibus. *Cap. 35.*

LENIENTIA.

electuarium lenitiuum } dantur ad drachmas
diacatholicon } decem.
ſyrupus de polypodio compoſitus datur ad vncias quinque.

EXEMPLVM.

In bolo.

℞ electuarij lenitiui ʒ x
cum ſaccaro fiant boli.

In potu.

℞ ſyrupi de polypodio cõpoſiti. ℥ v
decoct. cordialis q. ſ.
Miſce, & fiat potus.

PVRGANTIA.

Placida.

sena
diasena } dantur ad drachmas quatuor

myrobalana
epithimum } dantur ad drachmas duas.

Generosa.

Helleborus niger, in substantia datur ad scrupulum vnum: at tutius in infusione ad drachmam vnam, aut scrupulos quatuor. Quidam (non inepte) drachmam vnam hellebori nigri malo infigunt, & lento igne coquunt, coctumque comedunt, detracto helleboro: sic enim vim, non substantiam, innoxie sumunt.

EXEMPLVM.

in bolo.

℞ electuarij lenitiui ʒ vj
epithimi ʒ ij
Misce, & cum saccaro fiant boli.

In potu.

℞ syr. de polypodio comp. ℥ iij
diasenę ʒ iiij
decoctionis cord. q. s.
Misce pro potu.

De pilularum dosi. Cap. 36.

Pilulę dantur communiter ad sesquidrachmam: si vero augere earum vim conueniat, id fiet granis tribus vel quatuor diagridij additis. Harum alię bili, alię pituitę, alię melancholię conueniunt.

De pilulis bilem educentibus. Cap. 37.

A CAPITE.

pilulę aureę
arabicę
azaiaret.

A STOMACHO.

pilulę ex aloe.

AB HEPATE.

pilulę de rheubarbaro
eupatorio.

A TOTO.

pilulę aggregatiuę
reformantur syrupis, vel aquis particularibus, iam ante bili assignatis: vt

℞ pilularum de rheubarbaro ʒ j
de eupatorio ʒ meza

Misce, & cum aqua endiuię reformentur pilulę num. v. & deaurentur.

De pilulis pituitam educentibus. Cap. 38.

A CAPITE.

pilulæ cochiæ
de hiera ſimplici
de hiera cum agarico
fœtidæ.

AB OCVLIS.

pilulæ lucis minores
lucis maiores
ſine quibus.
hæ reformantur cum aqua eufragię, & feniculi.

A PECTORE.

pilulę de agarico
agaricus trochiſcatus.

A STOMACHO.

pilulę elephangimę
ſtomachicę
maſticinę

AB HEPATE.

pilulę de tribus cum rheubarbaro
de mezeręo

AB ARTICVLIS.

pilulę artheticę
de hermodactilis
de euphorbio.

A TOTO.

pilulę aggregatiuę
reformantur ſyrupis vel aquis iam ante pituitę aſſignatis: vt

℞ pilularum cochiarum ʒ j
de hiera ſ. ʒ meza
Miſce, & cum aqua betonicę reformentur pilulę num. v. & deaurentur.

De pilulis melancholiam educentibus.
Cap. 39.

PIlulę melancholiam euacuantes potiſſimum lienis propriæ ſunt: quapropter, quando ab alia parte hunc humorem educere volemus, tunc eas in ſyrupis vel aquis particularibus, iam ante recitatis, reformabimus. Reliquum igitur eſt, vt pilulas ordine recenſeam: ſuntque pilulę de fumo terrę
indę
de lapide lazuli
de lapide armeno.

FINIS.

INDEX CAPITVLORVM, QVÆ IN HOC OPERE continentur.

Capita primi Libri.

Medicina quid.	Cap.1	pag. 9
De elementis.	2	11
De mixtione elementorum.	3	13
De temperamentis.	4	14
De temperamentorum notis.	5	15
De spiritu.	6	16
De animæ facultatibus.	7	17
De naturali facultate, ac primum de Procreatione.	8	19
De auctrice.	9	19
De nutrice facultate.	10	20
De vitale facultate.	11	21
De animali facultate.	12	22

De

A TOTO.

pilulę aggregatiuę
reformantur ſyrupis vel aquis iam ante pituitę aſſignatis: vt

℞ pilularum cochiarum ℥ j
de hiera ſ. ℥ meza
Miſce, & cum aqua betonicę reformentur pilulę num. v. & deaurentur.

De pilulis melancholiam educentibus. Cap. 39.

Pilulę melancholiam euacuantes potiſſimum lienis propriæ ſunt: quapropter, quando ab alia parte hunc humorem educere volemus, tunc eas in ſyrupis vel aquis particularibus, iam ante recitatis, reformabimus. Reliquum igitur eſt, vt pilulas ordine recenſeam: ſuntque pilulę de fumo terrę

indę
de lapide lazuli
de lapide armeno.

FINIS.

INDEX CAPITVLORVM,

QVÆ IN HOC OPERE continentur.

Capita primi Libri.

Medicina quid.	*Cap.* 1	*pag.* 9
De elementis.	2	11
De mixtione elementorum.	3	13
De temperamentis.	4	14
De temperamentorum notis.	5	15
De ſpiritu.	6	16
De animæ facultatibus.	7	17
De naturali facultate, ac primum de Procreatione.	8	19
De auctrice.	9	19
De nutrice facultate.	10	20
De vitale facultate.	11	21
De animali facultate.	12	22

De

De procreatione hominis.	*Cap.* 13	*pag.* 23
De semine.	14	24
De sanguine menstruo.	15	24
De conceptione, ac fœtus formatione.	16	26
De motu, & situ fœtus in vtero.	17	27
De nutritione fœtus, ac de membranis eum inuoluentibus.	18	27
De partus causa.	19	28
De tempore partus.	20	29
De humoribus.	21	30
De motu humorum.	22	31
De sanguine.	23	33
De pituita.	24	34
De Bile.	25	36
De melancholia.	27	38
De partibus.	28	39

Capita secundi Libri.

De huius tractatus necessitate.	1	43
Quomodo conseruetur sanitas.	2	44
De Aere.	3	45
De Aqua.	4	46
De potu.	5	48
De vino.	6	49
De bibendi tempore, & modo.	7	50
De cibi qualitate.	8	51
De quantitate cibi.	9	52
De edendi tempore, & modo,	10	53
De pane.	11	55

De pulmentis.	Cap. 12	pag. 56
De lacte.	13	57
De lacticinijs.	14	59
De ouis.	15	60
De carne.	16	61
De piscibus.	17	63
De exercitio.	18	64
De exercendi tempore, & modo.	19	65
De somno.	20	66
De dormiendi tempore, & modo.	21	67
De excernendis.	22	69
De perturbationibus animi.	23	71

Capita tertij Libri.

De differentia rerũ præter naturã.	Cap. 1	pag. 73
Quid sit morbus.	2	74
De morbi similaris differentijs.	3	75
De morbi organici differentijs.	4	76
De morbi communis differentijs.	5	77
Reliquæ morborum differentiæ.	6	78
De causis morborum.	7	79
De symptomatis.	8	80
De signis.	9	82
De signis partem affectam manifestantibus ab actione læsa.	10	83
De signis, partem affectam indicantibus ex dolore.	11	84
De signis, partem affectam significanti-		

bus, ab excretis.	Cap. 12	pag. 85
De signis, causam morbificam manifestantibus, ab externa causa.	13	85
De signis, causam morbificam explicantibus, ex habitu ægri.	14	86
De signis, causam morbificam reuelantibus, à natura morbi.	15	87

Capita quarti Libri.

VNde petantur prognostica.	1	90
De Crisi.	2	91
De symptomatica excretione.	3	93
De quatuor morbi temporibus.	4	94
De signis futuræ crisis.	5	95
De signis modum futuræ crisis reuelantibus.	6	97
De diebus criticis.	7	98
De signis mortiferis.	8	100
De tempore mortis.	9	101
De vrinarum substantia.	10	102
De vrinarum colore.	11	103
De vrinarum contentis.	12	105
De fæcibus.	13	106
De sudore.	14	107
De sputo.	15	108
De pulsibus.	16	109
De respiratione.	17	111
De animalis facultatis præsagijs.	18	113

Capita

Capita quinti Libri.

Medicina practica quid.	Cap. 1	pag. 115
Diæta ægrorum qualis esse debeat.	2	116
Quantum cibandus sit æger.	3	117
Quando cibandus sit æger.	4	117
De chyrurgia, ac sanguinis mittendi scopis.	5	118
De iis, quæ sanguinis missioni obstant.	6	119
Quibus morbis venæ sectio conueniat.	7	120
Quantum sanguinis educi debeat.	8	121
Quando sit mittendus sanguis.	9	123
Quænam vena incidi debeat.	10	123
De reuulsione.	11	124
A quo latere reuulsio fieri debeat.	12	125
De sanguinis educti examine.	13	126
De pharmacia.	14	128
De scopis pharmaceuticis, ex viribus ægri, & morbo, desumptis.	15	128
De scopis à causa morbi haustis.	16	129
De scopis ab humorum motu sumptis.	17	130
Quantum euacuandum sit.	18	131
Quando purgandum sit.	19	132
Per quam viam sit purgandum.	20	133
De pharmacis reuelentibus.	21	133
De Pharmacorum dosi.	22	134
De ponderibus medicinalibus.	23	135
De præparantibus.	24	136

De syrupis, & aquis bilem præparantibus. Cap. 25 pag. 137
De syrupis, & aquis pituitam coquentibus. 26 138
De syrupis, & aquis melancholiam alterantibus. 27 139
De syrupis particularibus, seu directiuis. 28 140
De syrupis, & aquis particularibus bilem coquentibus. 29 141
De syrupis, & aquis particularibus pituitam præparantibus. 30 142
De syrupis particularibus melancholiæ dicatis. 31 143
De medicamentis euacuantibus. 32 143
De medicamentis bilem educentibus. 33 144
De medicamentis pituitam vacuantibus. 34 146
De medicamentis melancholiam educentibus. 35 148
De pilularum dosi. 36 150
De pilulis bilem educentibus. 37 150
De pilulis pituitam educentibus. 38 151
De pilulis melancholiam educentibus. 39 152

FINIS.